
UNIVERSITY OF WISCONSIN
LIBRARY

D. IUNII IUVENALIS
SATIRAE

CUM

COMMENTARIIS

CAROLI FRID. HEINRICHII.

ACCEDUNT

SCHOLIA VETERA

EIUSDEM HEINRICHII ET LUDOVICI SCHOPENI
ANNOTATIONIBUS CRITICIS INSTRUCTA.

VOLUMEN I.

BONNAE
APUD ADOLPHUM MARCUM.
MDCCCXXXIX.

in opus, quod Pater reliquerat maxime omnium absolutum, curas eius in Satiricorum principem, Iuvenalem: mox tamen adolescentiae meae imbecillitatem et angustias temporis diversis prorsus artis salutiferae studiis impendendi considerans, rursum haesitare coepi, an ego tali negotio suscipiendo par essem. Sed sustulit omnem mihi dubitationem praeceptorum meorum, virorum clarissimorum et gravissimorum auctoritas et benevola cohortatio, Frid. Theoph. Welckeri, Aug. Ferd. Naekii, — *εἴ ποτ' ἔην γε!* — Ludov. Schopeni, aliorum, qui Patri fuerant in amicis dilectissimis. Quorum praecipue Schopenus, vir elegantissimus, gratissimo animo hic mihi nominandus est: qui, quum ipse e scholae Bonnensis disciplina profectus esset, id pietatis officio dandum putavit, ut in evulgando hoc Patris mei opere omni consilio atque cura me sustentaret adiuvaretque.

Ac Pater quidem Iuvenalem accuratius tractandum sumsit, ubi Vratislavia vocatus Kiliam venit, ut litteras antiquas ibi traderet; id quod evenit anno MDCCCIV. Ex eo inde tempore omni cogitatione et studio in poetas Romanorum satiricos, imprimis Iuvenalem, incubuit; nec scholis solum, primum Kiliae, deinde in hac Universitate habitis, sed tribus quoque Commentationibus, quae Kiliae prodierunt *), vehementissimum in litteratis

*) *Commentatio prima in D. Iun. Iuvenalis Satiras.* 1806. 4. — *Novum specimen Commentationis in D. Iun. Iuvenalis Satiras.* 1810. 4. — *Iudicium literarium de nupera Iuvenalis editione Parisiensi.* 1811. 4. — Mihi in animo est hos tres libellos una cum reliquis Patris Opusculis postea aliquando, si otium suppetet, iterum edere, multis additis, quae adhuc inedita sunt.

desiderium parandae totius editionis excitavit. Quod utinam vivus ipse explesset! Nam Commentarii tam in Satiras, quam in Scholia Vetera a Patre sic, ut nunc eduntur, MDCCCXI. ac tribus sequentibus annis scripti sunt; ipseque novam Iuvenalis editionem se absolutam habere in F. A. Wolfii Analectis litterariis Vol. I. p. 512. palam et diserte declaravit. Sed valent de Patre meo ad verbum ea, quae Wolfius de Frid. Volg. Reizio in Epistola ad Villoisonium, libro de Prosodiae Graecae inclinatione praemissa, luculenter scripsit hoc modo: „Nimius calumniator sui, omnia lentius et remissius tractabat; rebus vel minimis, quas aliud agendo facimus, propriam diligentiam deberi putans; nihil admittens, in quo ullus dubitationis scrupulus residere videretur. Itaque quum legeret aliquid, aut scriberet, aut cogitaret denique, crebro de via deflectebat, libros evolvens plures, etiam contigui argumenti, qui ad alia cum ex aliis traherent, ut nonnunquam viae suae prorsus oblitus in deverticulis habitaret“. Quo factum est, ut, quae scripserat in Iuvenalem, recoquens, retractans, locupletans, mox iterum atque iterum ad alia, maxime Ciceroniana, studia avocatus, tandem, quominus ipse Satiricum ex omni parte absolutum ederet, opprimente prohiberetur fato. Velut suspicio, quam de quinta decima satira Vol. II. p. 22. moverat, adeo postea confirmata est, ut hanc non minus quam ultimam satiram Iuvenale prorsus indignam haberet; quo exemplo tanto lubentius utor, quum Patris iudicium istud sane verissimum videatur. Et Commentarios in Satiras non ea, qua reliquit, forma, ipsum editurum fuisse, ex compluribus indiciis constat: Latine potius volebat scribere,

et quomodo scripturus fuerit, elegantissima satirarum Summaria sat possunt ostendere.

Iam praesidia, quibus Pater in Iuvenale recognoscendo primus usus est, breviter describam. Varietates lectionum e septem omnino MStis habuit. Nimirum sex codicum Hafniensium collationem ab A. G. Cramero, ICto Kiliensi, de Iuvenale plus uno nomine merito, dono acceperat. Conf. Commentat. I. in Iuven. p. 12. annot. Iidem sunt, qui a Cramero in annotationibus ad Iuvenalis Commentarios Vetustos saepius memorati leguntur. Sed maiorem Patri praebuit utilitatem codex, qui Bibliothecae Scholae Husumensis cimelium est, eique benevolentia I. H. C. Eggersii, Scholae Rectoris meritissimi, transmissus erat; hoc etiam insignis, quod passim glossis doctioribus solito distinctus est. Denique exemplum Iuvenalis Pithoeani Heidelbergae editi MDXC., quod in Bibliotheca Hamburgensi servatur, usurpavit: annotaverat hunc librum Frid. Lindenbrogius sua manu, inde commemoratus ad Sat. V, 10. VIII, 251. IX, 68.

Superest, ut enarrem, quomodo ego munus meum exsecutus sim. Textum igitur, quem vocant, e Rupertiana editione exprimendum curavi, ibi tamen ab ea discedendum ratus, ubi a Patre aut vulgatam distinguendi rationem mutatam aut diversam orthographiam probatam vidi, denique ubi, variantibus codicibus, aliam scripturam Pater ac Rupertius veram iudicavit. Emendationes et coniecturas ex ipso Heinrichii ingenio profectas, nec ullius codicum, quotquot adhuc adhibiti sunt, auctoritate confirmatas, item recipere dubitavi, futuro Iuvenalis editori concedens, ut, quae doctis in hoc

genere incorruptisque iudicibus unice palmariae visae fuerint emendationes, etiam in textu ponantur. Satiras Veterum Commentatorum Scholia excipiunt, tam ea, quae primum Pithoeus e codice Budensi vulgavit, quam quae ante hos sedecim annos in Crameri editione e Sangallensi recens accesserunt, suppleta haec rursus post Cramerum ex eodem codice ab Orellio V. C. in Indice lectionum in Academia Turicensi habendarum, Turici, MDCCCXXXIII. 4. Quae quidem recentiora quo satis ab ceteris differrent, asteriscos post singula Sangallensia scholia ponendos curavi. Lemmata, in quibus describendis negligentius Cramerus versatus erat, ex Pithoeana Scholiastae editione, Schopeno auctore, posui, usus ad eam rem, quum rariorem Parisinam editionem nancisci non potuissem, Heidelbergensi a. MDXC. De lemmatis scholiorum, quae e Sangallensi codice edita sunt, penes Cramerum fides esto; quamvis verendum videatur, ne in his quoque saepiuscule incuriosior fuerit: nam eadem lemmata aliter nonnunquam ab Orellio, aliter a Cramero proferuntur. Praecipuum autem Scholiis hisce ornamentum eo accessit, quod Schopenus, dum editio haec iam sub prelo sudabat, tanto successu emaculandis illis operam dedit, ut, quum largam suarum Annotationum copiam Paternis subiiciendam mihi concesserit, novo revera habitu novoque nitore nunc Scholia in vulgus prodeant. Idem, si quando Cramerus vitia apertissima, ab aliis dudum sanata, pro editionis suae consilio in textu reliquerat, tacite ea sustulit, ne denuo typis sordes istae propagarentur. Postremo ego Indices tam in Commentarios quam in Scholia Vetera iisque subiectas Annotationes Criticas confeci.

Haec quidem, Lector, sunt, quae praefanda habui. Opus ipsum artificem, ut spero, laudabit memoriamque Patris mei novo decore illustrabit. Si quid forte desiderandum videatur, id partim fato imputabis, quo Pater ante diem acerbissime ereptus est, partim, quaeso, meae ipsius infirmitati seu potius, quae vicerat illam, pietati benevole condonabis. Ita vale mihique fave.

Scribebam Bonnae ad Rhenum extremo Augusto MDCCCXXXIX.

D. IUNII IUVENALIS

SATIRAE.

D. IUNII IUVENALIS
SATIRARUM
LIBER PRIMUS.

SATIRA I.

SUMMARIUM.

Primum hoc carmen non tam satira est, quam voluminis satirarum praefatio seu praeparatio, eaque ipsa satis exprimens genus tragicum comico mixtum, quod totum excoluit Iuvenalis. Scriptum est haud dubie, ut praefationes solent, si non post reliqua cuncta carmina, tamen post aliquot iam scripta et ad edendum parata: nota etiam temporis impressa in versibus 47 — 50. ex Mario Prisco, Proconsule Africae, repetundarum reo et damnato anno post Chr. nat. 100., principatus Traiani 3: (v. Plin. Epp. II, 11. et 12. coll. loco VI, 29, 9.) quem quidem Marium nemo putare potest alium esse, quam illum, de quo poeta hic loquitur; cuius rei temere incertus fuit Tillemontius, Historiae Impp. II, 1. p. 276. ed. sec. Praefatur autem poeta partim de causa, qua ad scribendum sit excitatus, partim de eo, quod sequi voluerit, scribendi genere et instituto. Causa taedium erat, quod tunc sano cuique tot hominum, scripta sua ad vacuas aures

recitantium, importunitas creabat et insania: materiam tempora dabant, mores corrupti, denique pervulgata omnis generis vitia et flagitia; Lucilius formae carminis exemplum: ceterum cautionem suadebant maiora tunc ex ira potentium pericula, quae quidem regebant fines satirae modumque scriptoris consilio praescribebant. Callide postremo sepultos ad viam Flaminiam ac Latinam commemorat, quibuscum rem sibi in satiris fore; conscientibus Romanis, id quod ex Suetonio et Martiale etiamnum sat scimus, sepultum iacere ad viam illam Domitianum dominum, ad hanc Paridem histrionem: ad quorum tempora hae satirae maxime spectant. Carmen, licet senex scripserit, adeo tamen nihil senile in se habet aut imbecillum, ut scriptum cum iuvenili prorsus robore, virili autem iudicio et arte perfectum et limatum esse videatur. Ceterum imitatio quaedam huius satirae edita est in Horis, libro menstruo Schilleri poetae, a. 1796. partic. 5., non indigna fortasse, quae comparetur.

Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theseide Codri?
Impune ergo mihi cantaverit ille togatas,
Hic elegos? impune diem consumserit ingens
Telephus, aut summi plena iam margine libri
Scriptus et in tergo, nec dum finitus, Orestes?
Nota magis nulli domus est sua, quam mihi lucus
Martis et Aeoliis vicinum rupibus antrum
Vulcani. Quid agant Venti, quas torqueat umbras
Aeacus, unde alius furtivae devehat aurum
Pelliculae, quantas iaculetur Monychus ornos,
Frontonis platani convulsaque marmora clamant
Semper et assiduo ruptae lectore columnae.

Exspectes eadem a summo minimoque poeta.
Et nos ergo manum ferulae subduximus, et nos
Consilium dedimus Sullae, privatus ut altum
Dormiret. Stulta est clementia, quum tot ubique
Vatibus occurras, periturae parcere chartae.
Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,
Per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus,
Si vacat et placidi rationem admittitis, edam.
Quum tener uxorem ducat spado, Maevia Tuscum
Figat aprum et nuda teneat venabula mamma;
Patricios omnes opibus quum provocet unus,
Quo tondente gravis iuveni mihi barba sonabat;
Quum pars Niliacae plebis, quum verna Canopi
Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas,
Ventilet aestivum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat maioris pondera gemmae:
Difficile est satiram non scribere. Nam quis iniquae
Tam patiens Urbis, tam ferreus, ut teneat se,
Causidici nova quum veniat lectica Mathonis,
Plena ipso; post hunc magni delator amici,
Et cito rapturus de nobilitate comesa
Quod superest; quem Massa timet, quem munere palpat
Carus et a trepido Thymele summissa Latino;
Quum te summoveant qui testamenta merentur
Noctibus, in coelum quos evehit optima summi
Nunc via processus, vetulae vesica beatae?
Unciolam Proculeius habet, sed Gillo deuncem,
Partes quisque suas ad mensuram inguinis heres.
Accipiat sane mercedem sanguinis et sic
Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram!

Quid referam, quanta siccum iecur ardeat ira,
Quum populum gregibus comitum premat hic spoliator
Pupilli prostantis? Et hic damnatus inani
Iudicio (quid enim salvis infamia nummis?)
Exsul ab octava Marius bibit et fruitur dis
Iratis: at tu victrix provincia ploras!
Haec ego non credam Venusina digna lucerna?
Haec ego non agitem? Sed quid magis Heracleas
Aut Diomedeas aut mugitum Labyrinthi
Et mare percussum puero fabrumque volantem,
Quum leno accipiat moechi bona, si capiendi
Ius nullum uxori, doctus spectare lacunar,
Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso;
Quum fas esse putet curam spectare cohortis,
Qui bona donavit praesepibus et caret omni
Maiorum censu, dum pervolat axe citato
Flaminiam puer: Automedon nam lora tenebat,
Ipse lacernatae quum se iactaret amicae.
Nonne libet medio ceras implere capaces
Quadrivio: quum iam sexta cervice feratur,
Hinc atque inde patens ac nuda paene cathedra
Et multum referens de Maecenate supino
Signator falso, qui se lautum atque beatum
Exiguis tabulis et gemma fecerat uda;
Occurrit matrona potens, quae molle Calenum
Porrectura viro miscet sitiente rubetam,
Instituitque rudes melior Locusta propinquas
Per famam et populum nigros efferre maritos?
Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum,
Si vis esse aliquis! Probitas laudatur et alget.
Criminibus debent hortos, praetoria, mensas,

Argentum vetus et stantem extra pocula caprum.
Quem patitur dormire nurus corruptor avarae,
Quem sponsae turpes et praetextatus adulter?
Si natura negat, facit indignatio versum,
Qualemcunque potest: quales ego vel Cluvienus.
Ex quo Deucalion, nimbis tollentibus aequor,
Navigio montem ascendit sortesque poposcit,
Paullatimque anima caluerunt mollia saxa,
Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas,
Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.
Et quando uberior vitiorum copia? quando
Maior avaritiae patuit sinus? alea quando
Hos animos? Neque enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulae, posita sed luditur arca.
Proelia quanta illic dispensatore videbis
Armigero! Simplexne furor sestertia centum
Perdere et horrenti tunicam non reddere servo?
Quis totidem erexit villas, quis fercula septem
Secreto coenavit avus? Nunc sportula primo
Limine parva sedet, turbae rapienda togatae.
Ille tamen faciem prius inspicit et trepidat, ne
Suppositus venias ac falso nomine poscas.
Agnitus accipies; iubet a praecone vocari
Ipsos Troiugenas; nam vexant limen et ipsi
Nobiscum. Da Praetori, da deinde Tribuno.
Sed libertinus prior est. Prior, inquit, ego adsum:
Cur timeam, dubitemve locum defendere, quamvis
Natus ad Euphraten, molles quod in aure fenestrae
Arguerint, licet ipse negem: sed quinque tabernae
Quadringenta parant. Quid confert purpura maior

Optandum, si Laurenti custodit in agro
Conductas Corvinus oves? ego possideo plus
Pallante et Licinis. Exspectent ergo Tribuni;
Vincant divitiae, sacro nec cedat honori,
Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis:
Quandoquidem inter nos sanctissima divitiarum
Maiestas: etsi funesta Pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras,
Ut colitur Pax atque Fides, Victoria, Virtus,
Quaeque salutato crepitat Concordia nido.
Sed quum summus honor finito computet anno,
Sportula quid referat, quantum rationibus addat:
Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc est
Et panis fumusque domi? Densissima centum
Quadrantes lectica petit, sequiturque maritum
Languida vel praegnans et circumducitur uxor.
Hic petit absenti, nota iam callidus arte,
Ostendens vacuam et clausam pro coniuge sellam.
Galla mea est, inquit. Citius dimitte: moraris.
Profer, Galla, caput. Noli vexare, quiescit.
Ipse dies pulcro distinguitur ordine rerum:
Sportula, deinde forum, iurisque peritus Apollo
Atque triumphales, inter quas ausus habere
Nescio quis titulos Aegyptius atque Arabarches,
Cuius ad effigiem non tantum meiere fas est.
Vestibulis abeunt veteres lassique clientes,
Votaque deponunt: quanquam longissima coenae
Spes homini: caulis miseris atque ignis emendus.
Optima silvarum interea pelagique vorabit
Rex horum, vacuisque toris tantum ipse iacebit.
Nam de tot pulcris et latis orbibus et tam

Antiquis una comedunt patrimonia mensa.
Nullus iam parasitus erit: sed quis feret istas
Luxuriae sordes? Quanta est gula, quae sibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum!
Poena tamen praesens, quum tu deponis amictus
Turgidus et crudum pavonem in balnea portas.
Hinc subitae mortes atque intestata senectus.
It nova, nec tristis, per cunctas fabula coenas;
Ducitur iratis plaudendum funus amicis.

Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat
Posteritas; eadem cupient facientque minores;
Omne in praecipiti vitium stetit. Utere velis,
Totos pande sinus. Dicas hic forsitan, Unde
Ingenium par materiae? unde illa priorum
Scribendi, quodcunque animo flagrante liberet,
Simplicitas, cuius non audeo dicere nomen?
Quid refert dictis ignoscat Mucius, an non?
Pone Tigellinum: taeda lucebis in illa,
Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant,
Et latum media sulcum deducis arena. —
Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Pensilibus plumis, atque illinc despiciat nos? —
Quum veniet contra, digito compesce labellum:
Accusator erit, qui verbum dixerit, Hic est.
Securus licet Aeneam Rutulumque ferocem
Committas; nulli gravis est percussus Achilles,
Aut multum quaesitus Hylas urnamque secutus.
Ense velut stricto quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus, tacita sudant praecordia culpa.
Inde irae et lacrimae. Tecum prius ergo voluta

Haec animo ante tubas: galeatum sero duelli
Poenitet. — Experiar, quid concedatur in illos,
Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

SATIRA II.

SUMMARIUM.

De hac satira vetus est et vulgaris opinio, scriptam eam esse in pessimum genus istius aetatis philosophorum, qui, quum introrsum essent turpissimi, tamen vultu et sermone tristitiam ac sanctitatem prae se ferrent: cuiusmodi iam dudum in Cod. Mstis lemmata circumferuntur, velut unus Hafniensium sic habet: *De philosophis obscenis moribus institutis*, atque alter: *De obscenis philosophis et ypocritis.* Quod si revera est argumentum huius satirae, adeo nihil hic est recti et mirandi ordinis, de quo nuperus quidam Editor, ipse mirandus, loquitur, ut, quippe in medio carmine abrupta ista materia, et satira a v. inde 65. longe alio traducta, nonnisi perturbata, disiuncta, obscura hic cuncta reperiantur. Verum sic omnino gravissimum carmen non potest recte intelligi: cuius quidem materia, ex temporibus ducta, melius aptiusque ad historiam interpretanda est, neque ad eos profecto pertinet, qui tum profitebantur philosophiam, genus contumax, liberum, propterea que ab Augusto inde suspectum et exosum Imperatoribus, immo vero ad diversissimum genus, tam obnoxium hoc lubidini Principum et ad assentationem ac servitutem paratum, quam refractarii illi erant et libertatis etiam cum affectatione studiosi: ne multa, describit carmen homines illustri loco natos et ex primis in civitate ordinibus, senatores et quoslibet nobiles, *proceres*, ad quos ipsos sermo conversus v. 121.; quales fere exsistere

solent in civitatibus prima exempla corruptionis ac turpitudinis, ad quae deinde se vulgus componit: id quod ipse dicit poeta vss. 78—81. Refert autem hoc totum argumentum tempora ac mores Domitiani. Is enim, quo nullus unquam vixit flagitiosior tyrannus, tamen impudentissimus Censoriae Potestatis histrio, quum ex Imperatoribus primus titulum *Censoris Perpetui* sumsisset, revocatis contra libidines *amaris legibus* (v. 30.), dum se ipse in omnia vitia ingurgitat, correctionem morum flagitiorumque punitionem aggrediebatur. Vide Sueton. Domit. c. 8., et de Censura Domitiani auctores et nummos collectos a Spanhemio de Praest. et Usu Numism. ed. Londin. Vol. II. p. 478. adde Io. Fred. Gronov. Diatrib. Stat. p. 241. sq. Iam, tanquam signo ad severas leges exercendas sublato, certatim multi personati Catones Principis aemulabantur censorium supercilium, ipsique vultu et loquela ingentem gravitatem mentientes, maxime mulierum crimina et adulteria crebris accusationibus vexabant. Itaque iudicia multa in adulteras exercita, multae damnatae. Sed erant novorum Catonum duae classes diversae, alii, quos *Stoicidas* vocat satira, vel extrorsum triste quiddam et tanquam Stoicum affectantes, quosque dixeris Tullianis verbis (de Off. I, 35.) Stoicos paene Cynicos: at alterum genus molles et delicati vestitu atque habitu, Antoniastri fere, ceterum non minus accusando et agendo Principi adulantes, Stoici, ut ita dicam, paene Epicurei: ad quos subito et quasi improviso impetu transit satira a v. inde 65. Postremo additur illud monstro simile, quod viros, primis gentibus ortos, nihil pudeat, instar servorum in arena spectari. Scilicet ad nobilitatem totum hoc carmen refertur, gravitatis simulatricem illam sub Domitiano principe, eandemque ad omnem infamiam et pravitatem turpissime corruptam. Certum esse videtur, hanc tempore omnium primam Iuvenalis satirarum exstare, quam auctor primum a se scriptam, quum scripta ad edendum colligeret, post praefationem primo loco posuit. Nam compositam sub ipso

Domitiano, aut saltem statim post necem eius, clare ostendunt, si modo recte intelligas, terribili gravitate versus 29—33. Ceterum quae de hoc carmine hic paucis diximus, copiosius explicata et demonstrata legi possunt in libello a nobis edito 1810, eoque remittimus, si qui rationes amplius velit cognoscere, cur de hac satira, praestantissima sane, pervagatam adhuc opinionem penitus abiiciendam putemus.

Ultra Sauromatas fugere hinc libet et glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent
Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt
Indocti primum: quanquam plena omnia gypso
Chrysippi invenies. Nam perfectissimus horum est,
Si quis Aristotelem similem vel Pittacon emit
Et iubet archetypos pluteum servare Cleanthas.
Frontis nulla fides. Quis enim non vicus abundat
Tristibus obscoenis? Castigas turpia, quum sis
Inter Socraticos notissima fossa cinaedos!
Hispida membra quidem et durae per brachia setae
Promittunt atrocem animum: sed podice levi
Caeduntur tumidae, medico ridente, mariscae.
Rarus sermo illis et magna libido tacendi
Atque supercilio brevior coma. Verius ergo
Et magis ingenue Peribomius: hunc ego fatis
Imputo, qui vultu morbum incessuque fatetur:
Horum simplicitas miserabilis; his furor ipse
Dat veniam. Sed peiores, qui talia verbis
Herculis invadunt et, de virtute locuti,
Clunem agitant Ego te ceventem, Sexte, verebor?

Infamis Varillus ait: quo deterior te?
Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus.
Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
Quis coelum terris non misceat et mare coelo,
Si fur displiceat Verri, homicida Miloni,
Clodius accuset moechos, Catilina Cethegum?
In tabulam Sullae si dicant discipuli tres?
Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
Concubitu: qui tunc leges revocabat amaras
Omnibus atque ipsis Veneri Martique timendas,
Quum tot abortivis fecundam Iulia vulvam
Solveret et patruo similes effunderet offas.
Nonne igitur iure ac merito vitia ultima fictos
Contemnunt Scauros et castigata remordent?
Non tulit ex illis torvum Laronia quendam
Clamantem toties: Ubi nunc lex Iulia? dormis?
Ad quem subridens: Felicia tempora, quae te
Moribus opponunt! Habeat iam Roma pudorem:
Tertius e coelo cecidit Cato. Sed tamen unde
Haec emis, hirsuto spirant opobalsama collo
Quae tibi? Ne pudeat dominum monstrare tabernae.
Quod si vexantur leges ac iura, citari
Ante omnes debet Scantinia. Respice primum
Et scrutare viros; faciunt hi plura: sed illos
Defendit numerus iunctaeque umbone phalanges.
Magna inter molles concordia. Non erit ullum
Exemplum in nostro tam detestabile sexu.
Tedia non lambit Cluviam, nec Flora Catullam:
Hispo subit iuvenes et morbo pallet utroque.
Numquid nos agimus causas? civilia iura
Novimus? aut ullo strepitu fora vestra movemus?

Luctantur paucae, comedunt coliphia paucae:
Vos lanam trahitis calathisque peracta refertis
Vellera: vos tenui praegnantem stamine fusum
Penelope melius, levius torquetis Arachne,
Horrida quale facit residens in codice pellex.
Notum est, cur solo tabulas impleverit Hister
Liberto, dederit vivus cur multa puellae.
Dives erit, magno quae dormit tertia lecto.
Tu nube atque tace: donant arcana cylindros.
De nobis post haec tristis sententia fertur.
Dat veniam corvis, vexat censura columbas. —
Fugerunt trepidi vera ac manifesta canentem
Stoicidae. Quid enim falsi Laronia? Sed quid
Non facient alii, quum tu multicia sumas,
Cretice, et hanc vestem populo mirante perores
In Proculas et Pollitas? Est moecha Fabulla;
Damnetur, si vis, etiam Carfinia: talem
Non sumet damnata togam. Sed Iulius ardet,
Aestuo. Nudus agas: minus est infamia turpis.
En habitum, quo te leges ac iura ferentem
Vulneribus crudis populus modo victor et illud
Montanum positis audiret vulgus aratris!
Quid non proclames, in corpore iudicis ista
Si videas? Quaero, an deceant multicia testem?
Acer et indomitus libertatisque magister,
Cretice, pelluces! Dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures: sicut grex totus in agris
Unius scabie cadit et porrigine porci,
Uvaque contacta livorem ducit ab uva.
Foedius hoc aliquid quandoque audebis amictu.
Nemo repente venit turpissimus: accipient te

Paullatim, qui longa domi redimicula sumunt
Frontibus et toto posuere monilia collo
Atque Bonam tenerae placant abdomine porcae
Et magno cratere Deam; sed more sinistro
Exagitata procul non intrat femina limen:
Solis ara Deae maribus patet. Ite profanae!
Clamatur: nullo gemit hic tibicina cornu.
Talia secreta coluerunt orgia taeda
Cecropiam soliti Baptae lassare Cotytto.
Ille supercilium madida fuligine tactum
Obliqua producit acu pingitque trementes
Attollens oculos: vitreo bibit ille Priapo
Reticulumque comis auratum ingentibus implet,
Caerulea indutus scutulata aut galbina rasa,
Et per Iunonem domini iurante ministro.
Ille tenet speculum, pathici gestamen Othonis,
Actoris Aurunci spolium, quo se ille videbat
Armatum, quum iam tolli vexilla iuberet.
Res memoranda novis annalibus atque recenti
Historia, speculum civilis sarcina belli.
Nimirum summi ducis est occidere Galbam
Et curare cutem: summi constantia civis
Bebriaci campo spolium affectare Palati
Et pressum in facie digitis extendere panem:
Quod nec in Assyrio pharetrata Semiramis orbe,
Moesta nec Actiaca fecit Cleopatra carina.
Hic nullus verbis pudor aut reverentia mensae;
Hic turpis Cybeles et fracta voce loquendi
Libertas et crine senex fanaticus albo
Sacrorum antistes, rarum ac memorabile magni
Gutturis exemplum conducendusque magister.

Quid tamen exspectant, Phrygio quos tempus erat iam
More supervacuam cultris abrumpere carnem?
Quadringenta dedit Gracchus sestertia dotem
Cornicini, sive hic recto cantaverat aere;
Signatae tabulae; dictum Feliciter! Ingens
Coena sedet; gremio iacuit nova nupta mariti.
O proceres, censore opus est an haruspice nobis?
Scilicet horreres maioraque monstra putares,
Si mulier vitulum vel si bos ederet agnum!
Segmenta et longos habitus et flamea sumit,
Arcano qui sacra ferens nutantia loro
Sudavit clipeis ancilibus! O pater Urbis,
Unde nefas tantum Latiis pastoribus? unde
Haec tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes?
Traditur, ecce, viro clarus genere atque opibus vir:
Nec galeam quassas, nec terram cuspide pulsas,
Nec quereris patri? Vade ergo et cede severi
Iugeribus campi, quem negligis! Officium cras
Primo sole mihi peragendum in valle Quirini.
Quae causa officii? Quid quaeris? Nubit amicus,
Nec multos adhibet. Liceat modo vivere: fient,
Fient ista palam, cupient et in acta referri.
Interea tormentum ingens nubentibus haeret,
Quod nequeunt parere et partu retinere maritos.
Sed melius, quod nil animis in corpora iuris
Natura indulget. Steriles moriuntur, et illis
Turgida non prodest condita pyxide Lyde,
Nec prodest agili palmas praebere Luperco.
Vicit et hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi,
Lustravitque fuga mediam gladiator arenam
Et Capitolinis generosior et Marcellis

Et Catulis Paullique minoribus et Fabiis et
Omnibus ad podium spectantibus. His licet ipsum
Admoveas, cuius tunc munere retia misit.
Esse aliquos manes et subterranea regna
Et contum et Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque una transire vadum tot millia cymba
Nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur.
Sed tu vera puta: Curius quid sentit et ambo
Scipiadae? quid Fabricius manesque Camilli?
Quid Cremerae legio et Cannis consumta iuventus,
Tot bellorum animae, quoties hinc talis ad illos
Umbra venit? Cuperent lustrari, si qua darentur
Sulfura cum taedis et si foret humida laurus.
Illuc, heu, miseri traducimur! Arma quidem ultra
Litora Iuvernae promovimus et modo captas
Orcadas ac minima contentos nocte Britannos:
Sed quae nunc populi fiunt victoris in Urbe,
Non faciunt illi, quos vicimus: et tamen unus
Armenius Zalates cunctis narratur ephebis
Mollior ardenti sese indulsisse Tribuno.
Aspice, quid faciant commercia: venerat obses.
Hic fiunt homines! Nam si mora longior Urbem
Indulsit pueris, non unquam deerit amator:
Mittentur braccae, cultelli, frena, flagellum.
Sic praetextatos referunt Artaxata mores.

SATIRA III.

SUMMARIUM.

Vitae in urbe Roma molestias et pericula descripturus, poeta argumentum copiosum et varium simplicissimo modo instruxit, quo simul satirae eam, quam haec amat poesis, dramaticam formam accommodaret. Nam quum res ipse posset narrare, suas ad amicum partes transtulit, incommodorum in Urbe pertaesum et, aliorsum dum migrat, sui ex Urbe discessus causas multas et gravissimas enarrantem: velut quod Romae honestis artibus locus non esset, fortunaque et gratia nonnisi ad malos rediret; quod iam Urbs paene Graeca esset facta totaque a peregrinis obsideretur; et huiusmodi plura. Haec qui enarrat, Umbricius est, non sane haruspex in Galbae historia Tacito ac Plutarcho commemoratus, itemque a Plinio maiore tanquam isto aevo haruspicum peritissimus laudatus; quem quidem a Domitio inde Calderino temere fere huc traxerunt interpretes, prave etiam sententia ad eum detorta v. 44.: sed homo est pauper atque ignotus, cui inditum nomen de medio sumtum et inter Romanos satis vulgare. De tempore, quando scriptum sit carmen, nullum usquam vestigium clarius exstat: sed haud dubie Urbis faciem reddit eam, quae erat sub Domitiano. Venustissimam satiram unanimiter praedicant omnes, et imitati sunt multi. Rectissime. Sed unus editorum, Marshallus, Anglus, maxima satirici, inquit, ars et elegantia in eo consistit, quod quam plurima aetatis suae vitia in unam quasi contraxit satiram. Immo vero haec ars debet videri praecipua, quod ingentis Urbis imaginem, ut in pictura, expressit veris et vividis coloribus vimque etiam auxit picturae ex adverso posita hominis infucati, haec omnia describentis, simplicitate; denique, quod hoc ipso, quippe perso-

nam velut simplicem inducens, satirae acerbitatem felicissime temperavit.

Quamvis digressu veteris confusus amici,
Laudo tamen, vacuis quod sedem figere Cumis
Destinet atque unum civem donare Sibyllae.
Ianua Baiarum est et gratum litus amoeni
Secessus. Ego vel Prochytam praepono Suburae.
Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, ut non
Deterius credas horrere incendia, lapsus
Tectorum assiduos ac mille pericula saevae
Urbis et Augusto recitantes mense poetas?
Sed dum tota domus reda componitur una,
Substitit ad veteres arcus madidamque Capenam.
Hic, ubi nocturnae Numa constituebat amicae,
Nunc sacri fontis nemus et delubra locantur
Iudaeis: quorum cophinus foenumque supellex.
Omnis enim Populo mercedem pendere iussa est
Arbor, et eiectis mendicat silva Camenis.
In vallem Egeriae descendimus et speluncas
Dissimiles veris. Quanto praesentius esset
Numen aquae, viridi si margine clauderet undas
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum!
Hic tunc Umbricius, Quando artibus, inquit, honestis
Nullus in Urbe locus, nulla emolumenta laborum,
Res hodie minor est, here quam fuit, atque eadem cras
Deteret exiguis aliquid: proponimus illuc
Ire, fatigatas ubi Daedalus exuit alas,
Dum nova canities, dum prima et recta senectus,

Dum superest Lachesi quod torqueat, et pedibus me
Porto meis, nullo dextram subeunte bacillo.
Cedamus patria: vivant Artorius istic
Et Catulus; maneant qui nigrum in candida vertunt.
Quis facile est aedem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver,
Et praebere caput domina venale sub hasta.
Quondam hi cornicines et municipalis arenae
Perpetui comites notaeque per oppida buccae
Munera nunc edunt et, verso pollice vulgi,
Quum libet, occidunt populariter: inde reversi
Conducunt foricas: et cur non omnia? quum sint
Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit Fortuna iocari.
Quid Romae faciam? Mentiri nescio; librum,
Si malus est, nequeo laudare et poscere; motus
Astrorum ignoro; funus promittere patris
Nec volo, nec possum; ranarum viscera nunquam
Inspexi. Ferre ad nuptam quae mittit adulter,
Quae mandat, norint alii: me nemo ministro
Fur erit, atque ideo nulli comes exeo, tanquam
Mancus et exstinctae corpus non utile dextrae.
Quis nunc diligitur, nisi conscius, et cui fervens
Aestuat occultis animus semperque tacendis?
Nil tibi se debere putat, nil conferet unquam,
Participem qui te secreti fecit honesti:
Carus erit Verri, qui Verrem tempore, quo vult,
Accusare potest. Tanti tibi non sit opaci
Omnis arena Tagi quodque in mare volvitur aurum,
Ut somno careas ponendaque praemia sumas
Tristis et a magno semper timearis amico!

Quae nunc divitibus gens acceptissima nostris
Et quos praecipue fugiam, properabo fateri,
Nec pudor obstabit. Non possum ferre, Quirites,
Graecam urbem: quamvis quota portio faecis Achaei?
Iam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes
Et linguam et mores et cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit et ad Circum iussas prostare puellas.
Ite quibus grata est picta lupa barbara mitra!
Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine,
Et ceromatico fert niceteria collo.
Hic alta Sicyone, ast hic Amydone relicta,
Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis,
Esquilias dictumque petunt a vimine collem,
Viscera magnarum domuum dominique futuri.
Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promtus et Isaeo torrentior. Ede, quid illum
Esse putes? quem vis hominem, secum attulit ad nos:
Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
Augur, schoenobates, medicus, magus: omnia novit.
Graeculus esuriens in coelum, iusseris, ibit.
Ad summam, non Maurus erat neque Sarmata nec Thrax.
Qui sumsit pennas, mediis sed natus Athenis.
Horum ego non fugiam conchylia? me prior ille
Signabit? fultusque toro meliore recumbet
Advectus Romam, quo pruna et cottona vento?
Usque adeo nihil est, quod nostra infantia coelum
Hausit Aventini, bacca nutrita Sabina?
Quid? quod adulandi gens prudentissima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum invalidi collum cervicibus aequat

Herculis, Antaeum procul a tellure tenentis,
Miratur vocem angustam, qua deterius nec
Ille sonat, quo mordetur gallina marito.
Haec eadem licet et nobis laudare: sed illis
Creditur. An melior, quum Thaida sustinet, aut quum
Uxorem comoedus agit vel Dorida nullo
Cultam palliolo? Mulier nempe ipsa videtur,
Non persona loqui: vacua et plana omnia dicas
Infra ventriculum et tenui distantia rima.
Nec tamen Antiochus, nec erit mirabilis illic
Aut Stratocles aut cum molli Demetrius Haemo:
Natio comoeda est. Rides, maiore cachinno
Concutitur; flet, si lacrimas conspexit amici,
Nec dolet; igniculum brumae si tempore poscas,
Accipit endromidem; si dixeris, aestuo, sudat.
Non sumus ergo pares: melior, qui semper et omni
Nocte dieque potest alienum sumere vultum,
A facie iactare manus, laudare paratus,
Si bene ructavit, si rectum minxit amicus,
Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.
Praeterea sanctum nihil est et ab inguine tutum:
Non matrona Laris, non filia virgo, neque ipse
Sponsus levis adhuc, non filius ante pudicus.
Horum si nihil est, aviam resupinat amici.
Scire volunt secreta domus atque inde timeri.
Et quoniam coepit Graecorum mentio, transi
Gymnasia atque audi facinus maioris abollae.
Stoicus occidit Baream, delator amicum
Discipulumque senex, ripa nutritus in illa,
Ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi.
Non est Romano cuiquam locus hic, ubi regnat

Protogenes aliquis vel Diphilus aut Hermarcus,
Qui gentis vitio nunquam partitur amicum,
Solus habet. Nam quum facilem stillavit in aurem
Exiguum de naturae patriaeque veneno,
Limine summoveor; perierunt tempora longi
Servitii. Nusquam minor est iactura clientis.
Quod porro officium, ne nobis blandiar, aut quod
Paüperis hic meritum, si curet nocte togatus
Currere, quum Praetor lictorem impellat et ire
Praecipitem iubeat, dudum vigilantibus orbis,
Ne prior Albinam et Modiam collega salutet?
Divitis hic servi claudit latus ingenuorum
Filius: alter enim, quantum in legione Tribuni
Accipiunt, donat Calvinae vel Catienae,
Ut semel atque iterum super illam palpitet: at tu,
Quum tibi vestiti facies scorti placet, haeres
Et dubitas alta Chionen deducere sella.
Da testem Romae tam sanctum, quam fuit hospes
Numinis Idaei; procedat vel Numa vel qui
Servavit trepidam flagranti ex aede Minervam:
Protinus ad censum, de moribus ultima fiet
Quaestio: quot pascit servos? quot possidet agri
Iugera? quam multa magnaque paropside coenat?
Quantum quisque sua nummorum servat in arca,
Tantum habet et fidei. Iures licet et Samothracum
Et nostrorum aras contemnere fulmina pauper
Creditur atque deos, dis ignoscentibus ipsis.
Quid? quod materiam praebet causasque iocorum
Omnibus hic idem, si foeda et scissa lacerna,
Si toga sordidula est et rupta calceus alter
Pelle patet: vel si, consuto vulnere, crassum

Atque recens linum ostendit non una cicatrix.
Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quam quod ridiculos homines facit. Exeat, inquit,
Si pudor est, et de pulvino surgat equestri,
Cuius res legi non sufficit, et sedeant hic
Lenonum pueri quocunque in fornice nati,
Hic plaudat nitidi praeconis filius inter
Pinnirapi cultos iuvenes iuvenesque lanistae.
Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.
Quis gener hic placuit censu minor atque puellae
Sarcinulis impar? quis pauper scribitur heres?
Quando in consilio est Aedilibus? Agmine facto
Debuerant olim tenues migrasse Quirites.
Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi: sed Romae durior illis
Conatus; magno hospitium miserabile, magno
Servorum ventres et frugi coenula magno.
Fictilibus coenare pudet, quod turpe negavit
Translatus subito ad Marsos mensamque Sabellam
Contentusque illic veneto duroque cucullo.
Pars magna Italiae est, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit nisi mortuus. Ipsa dierum
Festorum herboso colitur si quando theatro
Maiestas tandemque redit ad pulpita notum
Exodium, quum personae pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans,
Aequales habitus illic similemque videbis
Orchestram et populum: clari velamen honoris,
Sufficiunt tunicae summis Aedilibus albae.
Hic ultra vires habitus nitor; hic aliquid plus
Quam satis est interdum aliena sumitur arca.

Commune id vitium est: hic vivimus ambitiosa
Paupertate omnes. Quid te moror? Omnia Romae
Cum pretio. Quid das, ut Cossum aliquando salutes?
Ut te respiciat clauso Veiento labello?
Ille metit barbam, crinem hic deponit amati;
Plena domus libis genialibus! Accipe et istud
Fermentum tibi habe: praestare tributa clientes
Cogimur et cultis augere peculia servis.

Quis timet aut timuit gelida Praeneste ruinam,
Aut positis nemorosa inter iuga Volsiniis, aut
Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis arce?
Nos urbem colimus tenui tibicine fultam
Magna parte sui. Nam sic labentibus obstat
Villicus et, veteris rimae contexit hiatum,
Securos pendente iubet dormire ruina.
Vivendum est illic, ubi nulla incendia, nulli
Nocte metus. Iam poscit aquam, iam frivola transfert
Ucalegon; tabulata tibi iam tertia fumant;
Tu nescis: nam si gradibus trepidatur ab imis,
Ultimus ardebit, quem tegula sola tuetur
A pluvia, molles ubi reddunt ova columbae.
Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex,
Ornamentum abaci; nec non et parvulus infra
Cantharus et recubans sub eodem marmore Chiron;
Iamque vetus Graecos servabat cista libellos,
Et divina opici rodebant carmina mures.
Nil habuit Codrus: quis enim negat? et tamen illud
Perdidit infelix totum nihil: ultimus autem
Aerumnae cumulus, quod nudum et frustra rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio tectoque iuvabit.
Si magna Asturici cecidit domus: horrida mater,

Pullati proceres, differt vadimonia Praetor;
Tunc geminus casus Urbis, tunc odimus ignem.
Ardet adhuc, et iam accurrit qui marmora donet,
Conferat impensas. Hic nuda et candida signa,
Hic aliquid praeclarum Euphranoris et Polycleti,
Haec Asianorum vetera ornamenta deorum,
Hic libros dabit et forulos mediamque Minervam,
Hic modium argenti: meliora et plura reponit
Persicus orborum lautissimus et merito iam
Suspectus, tanquam ipse suas incenderit aedes.
Si potes avelli Circensibus, optima Sorae
Aut Fabrateriae domus aut Frusinone paratur,
Quanti nunc tenebras unum conducis in annum.
Hortulus hic puteusque brevis nec reste movendus
In tenues plantas facili diffunditur haustu.
Vive bidentis amans et culti villicus horti,
Unde epulum possis centum dare Pythagoreis.
Est aliquid, quocunque loco, quocunque recessu,
Unius sese dominum fecisse lacertae.
Plurimus hic aeger moritur vigilando: sed illum
Languorem peperit cibus imperfectus et haerens
Ardenti stomacho. Nam quae meritoria somnum
Admittunt? Magnis opibus dormitur in Urbe.
Inde caput morbi. Redarum transitus arto
Vicorum inflexu et stantis convicia mandrae
Eripient somnum Druso vitulisque marinis.
Si vocat officium, turba cedente vehetur
Dives et ingenti curret super ora Liburno
Atque obiter leget aut scribet vel dormiet intus.
Namque facit somnum clausa lectica fenestra.
Ante tamen veniet: nobis properantibus obstat

Unda prior, magno populus premit agmine lumbos,
Qui sequitur; ferit hic cubito, ferit assere duro
Alter: at hic tignum capiti incutit, ille metretam.
Pinguia crura luto, planta mox undique magna
Calcor, et in digito clavus mihi militis haeret.
Nonne vides, quanto celebretur sportula fumo?
Centum convivae; sequitur sua quemque culina.
Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res
Impositas capiti, quot recto vertice portat
Servulus infelix et cursu ventilat ignem.
Scinduntur tunicae sartae modo: longa coruscat
Sarraco veniente abies, atque altera pinum
Plaustra vehunt; nutant alte populoque minantur:
Nam si procubuit qui saxa Ligustica portat
Axis et eversum fudit super agmina montem,
Quid superest de corporibus? quis membra, quis ossa
Invenit? Obtritum vulgi perit omne cadaver
More animae. Domus interea secura patellas
Iam lavat et bucca foculum excitat et sonat unctis
Striglibus et pleno componit lintea gutto.
Haec inter pueros varie properantur: at ille
Iam sedet in ripa tetrumque novicius horret
Porthmea, nec sperat coenosi gurgitis alnum,
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.
Respice nunc alia ac diversa pericula noctis:
Quod spatium tectis sublimibus, unde cerebrum
Testa ferit, quoties rimosa et curta fenestris
Vasa cadunt; quanto percussum pondere signent
Et laedant silicem. Possis ignavus haberi
Et subiti casus improvidus, ad coenam si
Intestatus eas. Adeo tot fata, quot illa

Nocte patent vigiles, te praetereunte, fenestrae.
Ergo optes votumque feras miserabile tecum,
Ut sint contentae patulas defundere pelves.
  Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit,
Dat poenas, noctem patitur lugentis amicum
Pelidae, cubat in faciem, mox deinde supinus.
Ergo non aliter poterit dormire? Quibusdam
Somnum rixa facit: sed, quamvis improbus annis
Atque mero fervens, cavet hunc, quem coccina laena
Vitari iubet et comitum longissimus ordo,
Multum praeterea flammarum et aenea lampas:
Me, quem Luna solet deducere vel breve lumen
Candelae, cuius dispenso et tempero filum,
Contemnit. Miserae cognosce prooemia rixae,
Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.
Stat contra starique iubet; parere necesse est.
Nam quid agas, quum te furiosus cogat et idem
Fortior? Unde venis? exclamat: cuius aceto,
Cuius conche tumes? quis tecum sectile porrum
Sutor et elixi vervecis labra comedit?
Nil mihi respondes? Aut dic, aut accipe calcem.
Ede, ubi consistas, in qua te quaero proseucha.
Dicere si tentes aliquid tacitusve recedas,
Tantundem est; feriunt pariter; vadimonia deinde
Irati faciunt. Libertas pauperis haec est:
Pulsatus rogat et pugnis concisus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.
  Nec tamen haec tantum metuas: nam qui spoliet te
Non deerit, clausis domibus, postquam omnis ubique
Fixa catenatae siluit compago tabernae.
Interdum et ferro subitus grassator agit rem,

Armato quoties tutae custode tenentur
Et Pomtina palus et Gallinaria pinus.
Sic inde huc omnes tanquam ad vivaria currunt.
Qua fornace graves, qua non incude, catenae?
Maximus in vinclis ferri modus, ut timeas, ne
Vomer deficiat, ne marrae et sarcula desint.
Felices proavorum atavos, felicia dicas
Secula, quae quondam sub regibus atque tribunis
Viderunt uno contentam carcere Romam.
His alias poteram et plures subnectere causas:
Sed iumenta vocant, et sol inclinat; eundum est.
Nam mihi commota iam dudum mulio virga
Innuit. Ergo vale nostri memor, et quoties te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino,
Me quoque ad Helvinam Cererem vestramque Dianam
Converte a Cumis. Satirarum ego, ni pudet illas,
Adiutor gelidos veniam caligatus in agros.

SATIRA IV.

SUMMARIUM.

Satira haec, in praestantissimis facile numeranda, praeter exordium dramatica tota est: quod genus, primum usurpatum a Lucilio Latinisque litteris excultum, satirae vetustae, olim Romanis in scena frequentatae, unde originem traxit, similem quodammodo formam servavit et scenae adhuc vestigia habet aliqua, nullo negotio cognoscenda. Nam plane hic scena instructa est, actio paratur, locus designatur, per-

sonae prodeunt moribus ac sententiis variae, nectitur nodus et dissolvitur. Huius fabulae tanquam prologum agit Crispinus, perditissimae luxuriae nebulo omnibusque opertus vitiis infamis, sub Domitiano ex servo potens factus atque famosus in aula Principis scurra. Post hunc ipse Imperator inducitur, consilium suum velut de re maxima et difficillima adhibens: nam piscis admirandae magnitudinis, rhombus, nuper captus in Adriatico mari et Imperatori oblatus erat: itaque magna quaestio agitur, sitne is integer, an in frusta dissectus apponendus: eaque de re consilio habito, tandem sententia vincit, piscem non dissectum, sed integrum esse apponendum. Sic in levissimo argumento et vehementer ridiculo una insaniam tyranni, obnoxiam incredibili modo procerum servitutem, denique universam miseriam temporum, quasi aliud agens, notavit poeta et expressit: intexuit etiam plura nomina procerum tum maxime insignium singulosque suis cum moribus praeclare descriptos. Nulla est sane ex satiris Iuvenalis cum Horatio tam iuste comparanda: quanquam haec quoque non tota comica est, sed aliquid severius et paene tragicum habet nonnullis in locis admixtum ab animo poetae indignabundo. Scriptum esse hoc carmen post mortem Domitiani, e versibus postremis perspicuum est: neque tamen diu post scriptum esse, tum res ipsa prodere videtur, tum recens, quem in eo loqui sentimus, scriptoris affectus ex praeteritarum rerum memoria.

Ecce iterum Crispinus, et est mihi saepe vocandus
Ad partes, monstrum nulla virtute redemtum
A vitiis, aeger solaque libidine fortis:
Delicias viduae tantum aspernatur adulter.
Quid refert igitur, quantis iumenta fatiget

Porticibus, quanta nemorum vectetur in umbra,
Iugera quot vicina foro, quas emerit aedes?
Nemo malus felix, minime corruptor et idem
Incestus, cum quo nuper vittata iacebat
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.
Sed nunc de factis levioribus: et tamen alter
Si fecisset idem, caderet sub iudice morum.
Nam quod turpe bonis Titio Seioque, decebat
Crispinum. Quid agas, quum dira et foedior omni
Crimine persona est? Mullum sex millibus emit,
Aequantem sane paribus sestertia libris,
Ut perhibent qui de magnis maiora loquuntur.
Consilium laudo artificis, si munere tanto
Praecipuam in tabulis ceram senis abstulit orbi.
Est ratio ulterior, magnae si misit amicae,
Quae vehitur clauso latis specularibus antro.
Nil tale exspectes: emit sibi. Multa videmus,
Quae miser et frugi non fecit Apicius. Hoc tu,
Succinctus patria quondam, Crispine, papyro!
Hoc pretium squamae! Potuit fortasse minoris
Piscator, quam piscis, emi. Provincia tanti
Vendit agros: sed maiores Appulia vendit.
Quales tunc epulas ipsum glutisse putemus
Induperatorem, quum tot sestertia, partem
Exiguam et modicae sumtam de margine coenae,
Purpureus magni ructarit scurra Palati,
Iam princeps Equitum, magna qui voce solebat
Vendere municipes fracta de merce siluros!
Incipe, Calliope, licet et considere: non est
Cantandum, res vera agitur: narrate, puellae
Pierides: prosit mihi vos dixisse puellas!

Quum iam semianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus et calvo serviret Roma Neroni,
Incidit Adriaci spatium admirabile rhombi
Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon,
Implevitque sinus: neque enim minor haeserat illis,
Quos operit glacies Maeotica ruptaque tandem
Solibus effundit torpentis ad ostia Ponti,
Desidia tardos et longo frigore pingues.
Destinat hoc monstrum cymbae linique magister
Pontifici summo. Quis enim proponere talem
Aut emere auderet, quum plena et litora multo
Delatore forent? Dispersi protinus algae
Inquisitores agerent cum remige nudo,
Non dubitaturi fugitivum dicere piscem
Depastumque diu vivaria Caesaris; inde
Elapsum veterem ad dominum debere reverti.
Si quid Palfurio, si credimus Armillato,
Quidquid conspicuum pulcrumque est aequore toto,
Res fisci est, ubicunque natat. Donabitur ergo,
Ne pereat. Iam letifero cedente pruinis
Autumno, iam quartanam sperantibus aegris,
Stridebat deformis hiems praedamque recentem
Servabat: tamen hic properat, velut urgeat Auster:
Utque lacus suberant, ubi, quanquam diruta, servat
Ignem Troianum et Vestam colit Alba minorem,
Obstitit intranti miratrix turba parumper.
Ut cessit, facili patuerunt cardine valvae;
Exclusi spectant admissa obsonia Patres.
Itur ad Atriden. Tum Picens, Accipe, dixit,
Privatis maiora focis: genialis agatur
Iste dies: propera stomachum laxare saginis,

Et tua servatum consume in secula rhombum.
Ipse capi voluit. Quid apertius? et tamen illi
Surgebant cristae. Nihil est, quod credere de se
Non possit, quum laudatur dis aequa potestas.
Sed deerat pisci patinae mensura. Vocantur
Ergo in consilium proceres, quos oderat ille;
In quorum facie miserae magnaeque sedebat
Pallor amicitiae. Primus, clamante Liburno,
Currite, iam sedit! rapta properabat abolla
Pegasus, attonitae positus modo villicus Urbi.
Anne aliud tunc praefecti? quorum optimus atque
Interpres legum sanctissimus; omnia quanquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi
Iustitia. Venit et Crispi iucunda senectus,
Cuius erant mores, qualis facundia, mite
Ingenium. Maria ac terras populosque regenti
Esse deos, quos ipse colit. Sed tempore festo
Alterius populi rapienda occasio cunctis
Visa inimicorum primoribus ac ducibus, ne
Laetum hilaremque diem, ne magnae gaudia coenae
Sentirent, positis ad templa et compita mensis
Pervigilique toro, quem nocte ac luce iacentem

Septimus interdum sol invenit. Horrida sane
Aegyptus: sed luxuria, quantum ipse notavi,
Barbara famoso non cedit turba Canopo.
Adde, quod et facilis victoria de madidis et
Blaesis atque mero titubantibus. Inde virorum
Saltatus nigro tibicine, qualiacunque
Unguenta et flores multaeque in fronte coronae:
Hinc ieiunum odium. Sed iurgia prima sonare
Incipiunt animis ardentibus: haec tuba rixae.
Dein clamore pari concurritur, et vice teli
Saevit nuda manus: paucae sine vulnere malae;
Vix cuiquam aut nulli toto certamine nasus
Integer. Aspiceres iam cuncta per agmina vultus
Dimidios, alias facies et hiantia ruptis
Ossa genis, plenos oculorum sanguine pugnos.
Ludere se credunt ipsi tamen et pueriles
Exercere acies, quod nulla cadavera calcent:
Et sane quo tot rixantis millia turbae,
Si vivunt omnes? Ergo acrior impetus, et iam
Saxa inclinatis per humum quaesita lacertis
Incipiunt torquere, domestica seditioni
Tela; nec hunc lapidem, quales et Turnus et Aiax,
Vel quo Tydides percussit pondere coxam
Aeneae; sed quem valeant emittere dextrae
Illis dissimiles et nostro tempore natae.
Nam genus hoc vivo iam decrescebat Homero.
Terra malos homines nunc educat atque pusillos.
Ergo deus, quicunque aspexit, ridet et odit.
A diverticulo repetatur fabula. Postquam
Subsidiis aucti, pars altera promere ferrum
Audet et infestis pugnam instaurare sagittis:

Terga fuga celeri praestantibus omnibus, instant
Qui vicina colunt umbrosae Tentyra palmae.
Labitur hinc quidam, nimia formidine cursum
Praecipitans, capiturque: ast illum in plurima sectum
Frusta et particulas, ut multis mortuus unus
Sufficeret, totum corrosis ossibus edit
Victrix turba: nec ardenti decoxit aeno
Aut verubus: longum usque adeo tardumque putavit
Exspectare focos, contenta cadavere crudo.
Hic gaudere libet, quod non violaverit ignem,
Quem summa coeli raptum de parte Prometheus
Donavit terris. Elemento gratulor et te
Exsultare reor. Sed qui mordere cadaver
Sustinuit, nil unquam hac carne libentius edit.
Nam scelere in tanto ne quaeras et dubites, an
Prima voluptatem gula senserit. Ultimus autem,
Qui stetit absumto iam toto corpore, ductis
Per terram digitis, aliquid de sanguine gustat.
Vascones, haec fama est, alimentis talibus olim
Produxere animas: sed res diversa, sed illic
Fortunae invidia est bellorumque ultima, casus
Extremi, longae dira obsidionis egestas.
Huius enim, quod nunc agitur, miserabile debet
Exemplum esse cibi: sicut modo dicta mihi gens
Post omnes herbas, post cuncta animalia, quidquid
Cogebat vacui ventris furor, hostibus ipsis
Pallorem ac maciem et tenues miserantibus artus,
Membra aliena fame lacerabant, esse parati
Et sua. Quisnam hominum veniam dare, quisve deorum
Viribus abnuerit dira atque immania passis,
Et quibus illorum poterant ignoscere manes,

Quorum corporibus vescebantur? Melius nos
Zenonis praecepta monent: nec enim omnia, quaedam
Pro vita facienda putat. Sed Cantaber unde
Stoicus, antiqui praesertim aetate Metelli?
Nunc totus Graias nostrasque habet orbis Athenas.
Gallia causidicos docuit facunda Britannos:
De conducendo loquitur iam rhetore Thule.
Nobilis ille tamen populus, quem diximus, et par
Virtute atque fide, sed maior clade, Saguntus
Tale quid excusat. Maeotide saevior ara
Aegyptus: quippe illa nefandi Taurica sacri
Inventrix homines (ut iam, quae carmina tradunt,
Digna fide credas) tantum immolat, ulterius nil
Aut gravius cultro timet hostia. Quis modo casus
Impulit hos? quae tanta fames infestaque vallo
Arma coegerunt tam detestabile monstrum
Audere? Anne aliam, terra Memphitide sicca,
Invidiam facerent nolenti surgere Nilo?
Qua nec terribiles Cimbri, nec Britones unquam,
Sauromataeque truces aut immanes Agathyrsi,
Hac saevit rabie imbelle et inutile vulgus,
Parvula fictilibus solitum dare vela phaselis
Et brevibus pictae remis incumbere testae.
Nec poenam sceleri invenies, nec digna parabis
Supplicia his populis, in quorum mente pares sunt
Et similes ira atque fames. Mollissima corda
Humano generi dare se natura fatetur,
Quae lacrimas dedit: haec nostri pars optima sensus.
Plorare ergo iubet casum lugentis amici
Squaloremque rei, pupillum ad iura vocantem
Circumscriptorem, cuius manantia fletu

Ora puellares faciunt incerta capilli.
Naturae imperio gemimus, quum funus adultae
Virginis occurrit vel terra clauditur infans
Et minor igne rogi. Quis enim bonus et face dignus
Arcana, qualem Cereris vult esse sacerdos,
Ulla aliena sibi credat mala? Separat hoc nos
A grege mutorum, atque ideo venerabile soli
Sortiti ingenium divinorumque capaces
Atque exercendis capiendisque artibus apti
Sensum a coelesti demissum traximus arce,
Cuius egent prona et terram spectantia. Mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque, mutuus ut nos
Affectus petere auxilium et praestare iuberet,
Dispersos trahere in populum, migrare vetusto
De nemore et proavis habitatas linquere silvas;
Aedificare domos, Laribus coniungere nostris
Tectum aliud, tutos vicino limine somnos
Ut collata daret fiducia; protegere armis
Lapsum aut ingenti nutantem vulnere civem,
Communi dare signa tuba, defendier isdem
Turribus atque una portarum clave teneri.
Sed iam serpentum maior concordia: parcit
Cognatis maculis similis fera. Quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam
Exspiravit aper maioris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam; saevis inter se convenit ursis.
Ast homini ferrum letale incude nefanda
Produxisse parum est; quum rastra et sarcula tantum
Assueti coquere et marris ac vomere lassi

Nescirint primi gladios extendere fabri.
Aspicimus populos, quorum non sufficit irae
Occidisse aliquem; sed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus esse cibi. Quid diceret ergo,
Vel quo non fugeret, si nunc haec monstra videret
Pythagoras, cunctis animalibus abstinuit qui
Tanquam homine et ventri indulsit non omne legumen?

SATIRA XVI.

SUMMARIUM.

Ultima haec satira praemia et commoda militiae enumerat et, quantum tunc temporis togato anteponatur miles, demonstrat. Sed totum carmen Iuvenale indignum atque spurium est; qua de re plura in commentario huius satirae disputantur.

Quis numerare queat felicis praemia, Galle,
Militiae? Quod si subeuntur prospera castra,
Me pavidum excipiat tironem porta secundo
Sidere. Plus etenim fati valet hora benigni,
Quam si nos Veneris commendet epistola Marti
Et Samia genitrix quae delectatur arena.
Commoda tractemus primum communia: quorum
Haud minimum illud erit, ne te pulsare togatus
Audeat; immo etsi pulsetur, dissimulet, nec

Audeat excussos Praetori ostendere dentes
Et nigram in facie tumidis livoribus offam
Atque oculum, medico nil promittente, relictum.
Bardaicus iudex datur haec punire volenti
Calceus et grandes magna ad subsellia surae,
Legibus antiquis castrorum et more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra
Et procul a signis. Iustissima Centurionum
Cognitio est igitur de milite; nec mihi deerit
Ultio, si iustae defertur causa querelae.
Tota cohors tamen est inimica, omnesque manipli
Consensu magno efficiunt, curabilis ut sit
Vindicta gravior, quam iniuria. Dignum erit ergo
Declamatoris mulino corde Vagelli,
Quum duo crura habeas, offendere tot caligas, tot
Millia clavorum. Quis tam procul absit ab Urbe
Praeterea? quis tam Pylades, molem aggeris ultra
Ut veniat? Lacrimae siccentur protinus, et se
Excusaturos non sollicitemus amicos,
Da testem, iudex quum dixerit. Audeat ille,
Nescio quis, pugnos qui vidit, dicere, Vidi?
Et credam dignum barba dignumque capillis
Maiorum. Citius falsum producere testem
Contra paganum possis, quam vera loquentem
Contra fortunam armati contraque pudorem.
  Praemia nunc alia atque alia emolumenta notemus
Sacramentorum. Convallem ruris aviti
Improbus aut campum mihi si vicinus ademit
Et sacrum effodit medio de limite saxum,
Quod mea cum patulo coluit puls annua libo;
Debitor aut sumtos pergit non reddere nummos,

Vana supervacui dicens chirographa ligni:
Exspectandus erit, qui lites inchoet, annus
Totius populi: sed tunc quoque mille ferenda
Taedia, mille morae; toties subsellia tantum
Sternuntur; tum facundo ponente lacernas
Caedicio et Fusco iam micturiente, parati
Digredimur: lentaque fori pugnamus arena.
Ast illis, quos arma tegunt et balteus ambit,
Quod placitum est ipsis, praestatur tempus agendi,
Nec res atteritur longo sufflamine litis.
Solis praeterea testandi militibus ius
Vivo patre datur: nam, quae sunt parta labore
Militiae, placuit non esse in corpore census,
Omne tenet cuius regimen pater. Ergo Coranum
Signorum comitem castrorumque aera merentem,
Quamvis iam tremulus, captat pater. Hunc labor aequus
Provehit et pulcro reddit sua dona labori.
Ipsius certe ducis hoc referre videtur,
Ut, qui fortis erit, sit felicissimus idem,
Ut laeti phaleris omnes et torquibus omnes.

SCHOLIA VETERA

IN

IUVENALEM.

D. IUNII IUVENALIS

VITA.

Iunius Iuvenalis, libertini locupletis, incertum, filius an alumnus, ad mediam fere aetatem declamavit, animi magis caussa, quam quod scholae se aut foro praepararet. Deinde paucorum versuum satyra non absurde composita in Paridem pantominum, poetamque Claudii Neronis, eius semestribus militiolis tumentem, genus scripturae industriose excoluit. Et tamen bene diu ne modico quidem auditorio quicquam committere est ausus. Mox magna frequentia magnoque successu bis ac ter auditus est, ut ea quoque, quae prima fecerat, inferciret novis scriptis:

Quod non dant proceres, dabit histrio. Tu Camerinos,
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas.
Praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos.

Erat tum in deliciis aulae histrio; multique fautorum eius quotidie provehebantur. Venit ergo Iuvenalis in suspicionem, quasi tempora figurate notasset: ac statim, per honorem militiae, quanquam octogenarius, Urbe summotus, missusque ad praefecturam cohortis, in extrema Aegypti parte tendentis. Id supplicii genus placuit, ut levi atque ioculari delicto par esset. Verum intra brevissimum tempus angore et taedio periit.

SATIRA I.

CUR SATIRAS SCRIBAT.

1. *Semper ego*: Iuvenalem aliqui Gallum propter corporis magnitudinem, aliqui Aquinatem dicunt. Ea tempora Domitiani tyranni, quibus etiam ipse vixit, eo quod in aula ipsius plus histriones, quam bonae vitae homines possent, graviter carpsit. Hos autem libros in exilium missus ad civitatem ultimam Aegypti, Oasin, ab ipso Domitiano, scripsit. Ideo autem in exilium missus est, quia dixit versum [1]) illum : *Quod non dant proceres, dabit histrio.* Nunc autem hoc inducit, quasi carptum se per figuras a miseris poetis, qui nil novum, sed omnibus notas fabellas recitarent, et dicit magis ideo satyram se scribere, ut possit mores illius temporis demonstrando notare.

2 *Theseide Cordi*: Cordus hic poeta fuit vitiosus, qui tragoediam Thesei scripsit; de quo Virgilius [2]) dixit: *sedet aeternumque sedebit Infelix Theseus.*

3. *ille togatas*: togatae sunt comoediae Latinae, palliatae Graecae, quales Afranius fecit.

5. *Telephus*: filius Eraclis et Auges, a cerva nutritus est.* *summi plena iam margine*: notandum *marginem* feminino genere dici, cum Ovidius [3]) masculino dixerit.

6. *Orestes*: Aegisthus, Thyestis filius, dum Clitemnestram uxorem Agamemnonis adulteraret, illa amoris illius causa, communicato cum eodem consilio, venientem e Troiano bello maritum percussit, quam postea filius dicitur occi-

1) *versum*: Sat. VII, 90.
2) *Virgilius*: Aen. VI, 617.
3) *Ovidius*: Met. I, 13.

disse. Orestes, filius Agamemnonis et Clitemnestrae, qui adulteram puniens matrem.*

7. *quam mihi lucus Martis*: lucum Martis dixit, qui Romae est in Appia, in quo solebant recitare poetae; aut illum, qui apud Colchos est, in quo fuit pellis aurea; aut in quo Ilia peperit.

9. *Vulcani venti*: pro follibus posuit.

10. *Aeacus*: Aeacus, Minos et Rhadamantus. Hi tres apud inferos fratres fuerunt.*

12. *Frontonis platani*: in Horatiana domo, in qua poetae recitabant.

20. *magnus eq. Aur. fl. alumnus*: Turnum dicit, Scaevae Memoris, tragici poetae, fratrem. Turnus hic, libertini generis, ad honores ambitione provectus est, potens in aula Vespasianorum, Titi et Domitiani. Vel Lenium dicit, qui et ipse satyras scripsit; vel Silium, et ipsum sui temporis satyricum. Qui omnes ex Aurunca fuerunt.

23. *Figat aprum*: matrona, ut quod natura denegat, delitiarum affluentia largiatur.*

26. *Canopi*: Canopus oppidum Aegypti, dictum a gubernatore Menelai, qui ibidem morsu serpentis extinctus est.

27. *Crispinus*: Niliacus; unus de consulibus Liciniae, ac de plebe Aegypti fuit, magnarum postea Romae facultatum † et promotionum, si quidem ex libertino senator est a Nerone factus. †

28. *Ventilet aestivum*: per luxuriam enim anulos aestivos et hiemales invenit.

31. *teneat se*: ut non scribat accusationes illorum.*

32. *Mathonis*: advocati, qui sceleribus dives effectus est; et *lectica*, genus vehiculi, quo nobiles vehebantur; *plena* autem ipso, quia crassus fuit.

33. *magni delator amici*: Heliodorum dicit, Stoicum philosophum, qui Licinium Silanum, discipulum suum, cum argueretur coniurationis, inficiantem, praeter domesticam delationem, etiam testimonio oppressit. Alii philosophum Egna-

tium Celerem, Bareae Sorani magistrum, qui ipsum apud Neronem detulit et damnavit, et ipse postea sub Vespasiano hoc, ipsum Musonio Rufo accusante, damnatus est. Nonnulli Demetrium caussidicum dicunt, qui multos Neroni detulit.

34. *Et cito rapturus*: Delatione Siciliae maximam partem proscripserunt: ex quorum bonis multa diripuerunt. Namque hoc, quod *rapturum* dicit, ad crudelitatem refert. Et a Sylla multi occisi sunt et proscripti. *rapturus*: consumpturus. *

35. *quem Massa timet*: Massa morio fuisse dicitur, et Carus mimus, Latinus vero actor mimicus. Hi omnes Neronis fuerunt liberti et delitiae Augustis, sed et nequissimi delatores. Latinus autem mimus, quasi conscius adulterii Messalinae, uxoris Neronis, ab ipso occisus est. Massa autem et Carus, Heliodoro deferente, occisi sunt. Cuius futuram delationem ita metuebant, ut ei munera darent. Nam Latinus mimus Thymelem mimam summittebat ad mitigandum.

39. *vesica beatae*: divitis libidinosae. *

43. *Palleat*: nimia coitus libidine fatigatus, aut expectatione hereditatis, aut pretii adulterii.

47. *inani Iudicio*: non ademptis bonis. decius dicitur, sine litium aestimatione. Legis aestimatio illi non profuit. Subauditur nota.

48. *infamia numis*: infamis pronunciatus, sine dispendio pecuniae. *

49. *ab octava*: Qui iudicio vacabant, decima hora cenabant. Hic enim ab octava.

50. *provincia ploras*: quia spoliata. *

51. *Venusina digna lucerna*: lucernam dicit, quia satyrici ad omnium vitia quasi lucernam admovent, et ut adurant, et ut ostendant crimina. Venusinam autem ideo, quia haec fuit civitas Horatii.

52. *non agitem*: non persequar; ut Virgilius [1]): *pal-*

---

1) *Virgilius*: Aen. V, 265.

lantes Troas agebat. *Heracleas*: aut columnas in Hispaniis, aut Atlantem.

53. *Diomedeas*: socios Diomedis in aves conversos.* *Labyrinthi*: Minotauri.*

54. *Et mare*: Icarium dicitur.* *fabrumque*: Daedalum.*

56. *Cum leno*: maritus vendens coniugis castitatem.* *si capiendi Ius null. uxori*: *Si facultatem maritus non habet, ut deprehendat spoliandos adulteros, quia nota est eius fraus, tamen conniventiam suam adulteris vendit, et sic intelligitur.* Si uxor eius iure impediatur adultero succedere, ipse maritus leno succedit adultero heres, ut per fideicommissum res adulteri ad adulteram veniant.

56. *doctus spectare*: ut carius vendat adulterium, praesens est.*

58. *Cum fas esse*: ut accipiat consulatum.* *curam cohortis*: militum tribunatum.

59. *praesepibus*: propter equos hoc dixit, et Neronem tangit.

61. *Automedon*: auriga.*

62. *lacernatae*: satyrice, habitu virili feminam describit.

64. *sexta cervice*: lectica, faciente luxuria, a sex hominibus portabatur.

65. *hinc atque inde*: ut ab omnibus videatur.* *cathedra*: in his rebus concitatur posset et in publico scribere.*

66. *multum referens*: multum lucri capiens.* *supino*: superbo vel mortuo.*

68. *gemma f. uda*: saliva tacta, propter signaculi impressionem.

69. *Calenum*: venenum dicit.*

70. *rubetam*: rubeta rana est, ex cuius pulmonibus vel sanguine fit venenum.*

71. *Locusta*: Locustam ex Galliis matronam veneficam Nero excivit ad se propter venena conficienda, quoniam magnae famae erat, et in familiaritate habuit, ut etiam cum

doceret venena miscere. Inde ait Turnus in satyra: *Ex qua Caesareas soboles horrida Locusta Occidit cura sui verna nota Neronis.* Haec increpitata a Nerone, quod lentum venenum Britannico privigno suo parasset, tam efficax dedit, ut antequam poculum Britannicus exhauriret, in convivio Neronis expiraret. *propinquas* autem dicit, tanquam a Locusta doctas; vel, ut quidam, uxores.

72. *nigros*: a veneno. *

73. *Gyaris*: insula, ubi damnati mittebantur. *

75. *debent hortos*: illis donant hortos, argentum vel caetera, quibus conscientia tenentur obnoxia. *

76. *extra pocula caprum*: dicit emblematum opus. Caper hic praecipue ab omnibus praedicatur, quem etiam Martialis [1]) carmine suo laudavit: *Stat caper in phiala, Thebani vellere Phrixi Cultus: ab hoc mallet vecta fuisse soror.*

77. *dormire*: dissimulare. *

78. *praetextatus*: puer, qui adhuc vir non est. *

80. *Cluvienus*: delirus poeta, vel indoctus. *

81. *Ex quo Deucal.*: ab initio mundi. * *tollentib. aequor*: per diluvium. *

82. *sortesque poposcit*: a Themide, quae ante Apollinem responsa dabat.

83. *Paul. anima cal. mollia saxa*: *anima*, id est spiritus. Et *mollia saxa*, ut Virgilius [2]): *Inde homines nati, durum genus.* Et quod addit *et maribus*, per consensum ostendit esse durissimum.

86. *farrago lib.*: hoc est, vitia hominum dant nobis scribendi materiam. *

87. *uberior*: id est fecundior. *

88. *Hos animos*: ellipsis; subauditur, habuit. *

90. *luditur arca*: ad interitum, eventum. *

---

1) *Martialis*: VIII, 51.

2) *Virgilius*: Georg. I, 63.

91. *dispensatore*: subministrante pecuniam. *

92. *Armigero*: metaphora a bellantibus, id est, qui arma praebet tesseras et tabulas, et ipse qui nummos sub pignore portat, vel qui subministrat pecuniam.

93. *horrenti*: trementi, nudo. *

95. *Secreto*: non in publico convivio, sed privato. * In praeterito ostendit hanc vitam non fuisse, ideo dicit *habuit.* *

avus: * Quis tuorum avus aut tam locuples, aut tam luxuriosus fuit, ut tu es? * Moris autem erat apud antiquos, ne quis adderet possessionibus suis, aut ex illis minueret.

96. *Limine p. sedet*: Vult intelligi, quod apud veteres, quamvis pauperes essent, tamen maiorem humanitatem fuisse; nec aut eam solam videri humanitatem, si detur sportula, et ipsa tenuissima, tamen ab honoratis non excludaris, qui ad eam sine pudore conveniunt. *

99. *Agnitus*: id est, qui non agniti fuerint, non accipiunt, nedum humiles possunt accipere. Pro explorati. *

100. *Troiugenas*: patricios maiorum gentium. *et ipsi*: id est, cum pauperibus ipsos nobiles. *

104. *Natus ad Eufraten*: Mesopotameni homines effrenatae libidinis sunt in utroque sexu, ut Sallustius [1]) meminit. *molles q. in aure fe.*: Arguit homines, qui cum propter libidinem libertatem meruissent, et in libertinorum corpus et tribus relati essent, pertusis auribus signa libertinorum celare non poterant.

105. *Quadringenta*: qui erat census antea equitum Romanorum. *quid confert*: Lucillius [2]): *aurum atque ambitiosum specimen virtutis.*

106. *purpura maior*: laticlavium.

108. *Conductas Corv.*: Quid praestat nobilitas, si mercenarius alienus nobilis esset pauper? *

109. *Pallante et Licinis*: Pallas et Licinius in aula Claudii

1) *Sallustius*: Fragm. p. 229, 16. Gerl.

2) *Lucillius*: Reliq. p. 201.

Caesaris praepositi, curam reip. gesserunt, cum libertini essent. Pallas, libertus Claudii Caesaris, officium rationum administravit, et in numerum praetorum relatus, quod primum percunctantem Caesarem de incestu Agrippinae, ad nuptias confirmasset. Eamque ipse consuetudinem stupri adeo palam fecerat, ut in quodam simulacro Palatinae Minervae adscriptum sit: *ΠΑΛΛΑC ΛΙΤΙΩΤΑΙ.* Licinius, ex Germania puer captus, tantae industriae fuit, ut reliquias cibariorum inter conservos foeneraret, et cui quid credidisset, quali poterat chirographo, pugillaribus subnotaret; quos cum in expeditione quadam, transiturus flumen, in vestimentis recondidisset, C. Iulio Caesari quondam deneganti ei pugillaribus quicquam annotatum, barbarus lugens obtulit; statim ad dispensationem admissus, non multo post manumissus est; dein curationi Galliarum ab Augusto praepositus, eas spoliavit: et cum flagraret invidia, basilicam sub nomine C. Iulii Caesaris aedificavit. † Decessit sub Tiberio; proinde dives fuit, quod Cassii opes etiam exhausisset, et dictus est habuisse nummos, quantum milvi volant. Unde Persius [1]): *Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedes.* †

111. *pedibus qui venerat albis*: Ostendit plus honoris videri in calceis, quam in persona. Illo enim tempore necdum senatores nigris calceis utebantur, sed nudis pedibus, vel pulverulentis, vel braccis, vel pedules novos in braccis, quos pedornis dicunt, ut peregrinus.

112. *Quandoquidem*: Inter nos quidem magna est divitiarum maiestas, etsi pecunia quidem nondum consecrata est et in numero sit deorum, ut etiam colatur in templis, quemadmodum Pax atque Fides et cetera, ac per hoc ostendit, tam inepte haec nomina coli, quasi pecunia templum haberet. **

113. *funesta*: quoniam per scelera adquiritur; vel quod funerum faciendorum sit causa; vel quod per parricidia congeritur.

1) *Persius*: II, 36.

116. *Concordia nido*: ciconia, quae contra templum Concordiae ex consilio rostri sonitum fecit. Et satyrice *salutato nido*, non templo. Templum Concordiae vetus, in quo ciconia multa est.

117. *summus honos*: senatorum.

118. *referat*: prosit. * *rationibus*: utilitatibus. *

119. *comites*: Quid facient parasiti, cum senatores sic avidi sint ad sportulam?

121. *lectica petit*: Lecticarum usum primi dicuntur invenisse Bithyni. Cicero [1]): *nam una haud mos est Bithyniae regibus vehi lectica*, id est, octophoro.

122. *Languida*: id est, quieton sufferunt uxorem senatoris ad accipiendam sportulam, matrona sequitur virum. *

123. *Hic petit uxori*: uxoris sportulam. *

126. *Profer Galla*: qui erogat, dicit. * *noli vexare*: maritus dicit. *

127. *Ipse dies*: Totos dies sic consumunt divites, dum ad sportulam, aut ad templum Apollinis tractatum vadunt.

128. *iurisque peritus Apollo*: aut quia iuxta Apollinis templum iuris periti sedebant et tractabant; aut quia bibliothecam iuris civilis et liberalium studiorum in templo Apollinis Palatini dedicavit Augustus. Nam hic est Apollo, cuius et Horatius [2]) meminit: *Sic me servavit Apollo*. Sive quod Cicero domum Scaevolae oraculum dixit; † sive quod tam devia iurisperitorum responsa sunt, quam Apollinis. †

129. *Atque triumphales*: id est, itur ad rostra, ubi habere solent triumphales statuas viri magni, sive quadrigas.

130. *Arabarches*: Arabiae princeps. *

133. *votaq. depon.*: Dum divites tarde recedunt, clientes spectant, quamquam tarda sit homini spes coenandi; aut,

---

1) *Cicero*: Act. II. in Verr. lib. V, 11.

2) *Horatius*: Serm. I, 9, 78.

si quis certe non multum habeat in domo sua, quod coenet, tum non patitur divitum mensas spectare. *

135. *Optima silvar.*: de venatione. Quare *optimum*? Est hoc ex affectione et invidia parasitorum. *

138. *mensa*: mensis citreis, quas antiquitus magno in pretio habebant; aut de ebore.

140. *Luxur. sordes*: sine convivis magnos apparatus. *

141. *Ponit apros*: Apud antiquos munificentia videbatur apparatior, si in conviviis aper integer fuisset exhibitus.

142. *Poena*: quod solus voraverit, quod multis sufficere potuisset.

143. *Turgidus*: indigestus. *

144. *Hinc subitae*: id est, mortuus est manducando. *

146. *iratis plaudendum f. a.*: *Insultant*, quod de indigestione sit mortuus intestatus, de cuius testamento nihil consecuti sunt.

149. *Omne in praec.*: ac per hoc ad marginem venit, ut iam humiles nostros prosit discere.* *Utere velis*: distinctionis dicit, hoc est, satyrae scribendae.*

151. *priorum*: Lucillii et ceterorum.

155. *Pone Tigillinum*: *Vilem hominem dicit.* C. Fulcinius Tigillinus, patre Agrigentino, Scylaceum relegatus, iuvenis egens, verum admodum pulcher, in concubinatum a Bincio et Lucio Domitio maritis Agrippinae et Fulviae, sororum Caesaris, atque in utrisque uxoribus suspectus ob hoc Urbe summotus, piscatoriam machinam exercuit, quoad accepta hereditate reditum sub conditione impetravit, ut concubitu Claudii abstineret. Quare saltibus in Apulia et Calabria comparatis, cum studiosius equos quadrigarios aleret, amicitiam Neronis nactus, primus illum ad studium Circensium movit. Mortuo autem Nerone, Galba Imperator, populo Rom. deposcente supplicium Haloti et Tigillini, solos ex omnibus Neronis emissariis vel maleficentissimos, incolumes praestitit: atque insuper Halotum procuratione amplissima ornavit. Pro Tigillino etiam saevitiae populum edicto

increpuit. *Pone*: hoc est, in satyra ponere, vituperare Tigillinum, quem si laeseris, vivus ardebis, quemadmodum in munere Neronis vivi arserunt, de quibus ille iusserat cereos fieri, ut lucerent spectatoribus, cum fixa essent illis guttura, ne se curvarent. Nero maleficos homines teda et papiro et cera supervestiebat, et sic ad ignem admoveri iubebat, ut arderent. *Pone Tigillinum:* nunc, sicut olim Mutium Lucilius, ut Persius [1]): *secuit Lucillius Urbem, Te Lupe, te Muti, et genuinum fregit in illis.* Hunc tamen Mutius fortiter ac sapienter tulit, quanquam in eum dictum sit, Si Mutium insectabere, futurum est, ut miser sis. Vel, utrum ignoscat Mutius an non, haud laboraveris: sed si Tigillinum laeseris, vivus ardebis, quemadmodum multi imperante Nerone. Aut, non tantum non deserenda libertas, sed etiam maxima persona carpenda in vitiis, cum, etiamsi tacueris, plebeio funere moriturus sis. Vel, quasi ex persona alterius sit, quae communem futuram cum vulgaribus cadaveribus ustrinam denunciet, etiamsi a satyra abstineat; notiorem vero futurum, si insignem notaverit; ut sit locus hic ita accipiendus: *Pone Tigillinum*, nobilem, ut Tigillinum, quod nisi facias, in rogum cadaver tuum mittetur, in quo non iacentia corpora, sed ad lignorum parsimoniam, stantia exuruntur. Unde putant dici *Et latum media sulcum deducit arena.* Quod parcus ustor, subditi ligni inopia, scrobe subter facto, subcavet, ut ardere possit.

157. *Et latum media*: adductus cum per arenam traheretur, sulcum corpore suo fecit; vel fossam, in qua stipites fiebant, in quibus ardebant.

158. *Qui dedit*: generaliter dicit, carpens eos, qui veneno grassantur. *

159. *Pensilibus plumis*: lectica plumis strata. *pensilibus*: in altum exstructis.

---

1) *Persius*: I, 114.

162. *Securus licet Aenean*: securus de mortuis loqueris, nec metuis Legem Iuliam, quae vivorum vitia carpit.

163. *percussus Achilles*: Virgilius [1]): *Dardana qui Paridis direxti tela manusque.* *

164. *Aut multum quaesitus Hylas*: Virgilius [2]): *Ut littus Hyla, Hyla omne sonaret.*

168. *Inde irae*: Virgilius [3]): *Hinc mihi prima mali labes.* Iracundia accenditur nocens, criminum conscientia lacessitus. *ergo voluta*: cogita satiricas leges. *

169. *galeatum*: metaphora; tarde poenitet indixisse bellum, cum iam pugna commissa sit. *duelli*: belli. *

171. *Quorum Flamin.*: viae, in quibus nobiles sepeliebantur.

SATIRA II.

DE PHILOSOPHIS OBSCOENIS.

1. *Ultra Sauromatas*: Sarmatae ultimi ultra Pontum sunt, vicini Amazonum, unde Sauromatides appellantur.

3. *Qui Curios*: de his, qui severitate simulata effeminati sunt. * *Bacchanal. vivunt*: criminose vivunt, id est, qui sub figmento severitatis sunt impudici. Nam sacra Bacchanalia ex SC. condemnata sunt, cum probatum esset senatui, honestissimas feminas ad Stimulae deae lucum foede adulterari.

---

1) *Virgilius*: Aen. VI, 37.
2) *Virgilius*: Eclog. VI, 44.
3) *Virgilius*: Aen. II, 97.

4. *gypso Chrysippi*: imagines Chrysippi philosophi invenies apud eos factas de gypso; qui fuit Stoicorum princeps. *

6. *Aristotelem similem*: Aristotelis imaginem similem, ut statuam.

7. *iubet*: vult. * *pluteum*: armarium.

10. *inter Socraticos*: Aristophanes lacerat Socratem et discipulos ipsius, cum sit et ipse peior plerisque.

11. *Hispida*: hirsuta. *

12. *Promittunt atrocem*: fortem, sed coloratum. *

13. *medico ridente*: Nam invenientes stupri vestigia, medici rident. * Id est, intelligunt et denotant. *

16. *Peribomius*: nomen Archigalli cinaedi, quem magulum conspurcatum dicimus, qui publice impudicitiam perpessus est.

21. *Clunem agitant*: ad patiendum stuprum. *ceventem*: inclinatum ad stuprum et sustinentem. *Sexte*: senator.

23. *Loripedem*: solutum pedibus, aut curvis.

27. *Clodius*: Clodius C. Caesaris uxorem in templo Bonae Deae adulteravit, et licet Ciceronis testimonio gravatus, tamen absolutus est. Sed et Clodius fratris Domitiani filiam Iuliam in adulterio sumpserat maritam, cum ipse de adulteris leges severissimas promulgaret.

28. *discipuli tres*: Caesar, Pompeius, Crassus, qui Syllae fuere discipuli; aut certe Augustus, Lepidus, Antonius, Triumviri, qui per cruentum foedus iuncti, cum remp. invasissent, Syllam imitati, senatum et equestrem ordinem proscripsere.

discipuli tres: id est, si proscriptio displiceat Syllae vel Mario ceterisque, potest etiam Verri fur displicere et moechus Clodio. *

29. *Qualis erat tragico*: id est, scelerato. Claudium Caesarem dicit, qui, occisa Messalina, uxorem impudicissimam, Agrippinam fratris germani matrem Neronis, revocatam ab insula, in matrimonium accepit, concesso iure talium nuptiarum ex SC., quam dicit etiam frequenter abortum fe-

cisse, ne ex ipso coheredem Neroni filio pareret, cui illa praeparavit imperium.

32. *Cum tot abortivis*: Haec potionem accipiens abortum faciebat, quippe quae per adulterium concipiebat.*

33. *offas*: pro partu. *

34. *fictos*: hoc est, philosophos. *

35. *Contemn. Scauros*: qua severitatem Scaurorum simulant. *

37. *Lex Iulia*: Iulii Caesaris de damnandis adulteris.

40. *Tertius e. c. c. Cato*: Multi fuerunt Catones, e quibus duo nobilissimi, prior Censor, posterior nepos ipsius, qui de mortis loco dictus est Uticensis.

41. *hirsuto*: piloso. *

44. *Scantinia*: lex de infamibus puniendis.

46. *Defendit numerus*: Lucanus [1]): *quicquid multis peccatur, inultum est.* Metaphora a bellantibus.

49. *Media non lambit*: nomina meretricum lambentium. *

50. *Hippo*: vir gravis corrumpitur a iuvenibus, et patitur et lambit. *morbo utroque*: utriusque sexus, inguina lambentis et propatientis.

53. *coliphia*: pulmentum sive membrum virile, aut potius athletarum cibum dicit.

56. *Arachnae*: virgo Lydia lanifica, quam Minerva pro invidia, quoniam ausa fuit in certamine provocare, in araneam convertit. *

57. *Horrida quale facit*: Magno odio habetur apud uxorem ea, quae domino miscetur. Ergo hanc insequens gravioribus poenis domina, catena vinctam, infigit codici atque ita iubet facere pensa.

58. *Hister*: infamis, qui omne patrimonium suum vivus donavit uxori, ob hanc scilicet causam, ut simul dormiret

---

1) *Lucanus*: V, 260.

is, qui et illum corrumperet et illi misceretur. *puellae* ergo, consciae sibi, quae noverat eum corrumpi.

60. *Dives erit*: quae videat corrumpi, et taceat cupiditate habendi. * *tertia lecto*: aut ordine, aut nomen proprium est. †

61. *cylindros*: gemmas pretiosas.

63. *Dat veniam corvis*: proverbium est corvorum de impudicis. Discrevit sexum per aves. Unde dicunt coire corvos per os et sic parere. *columbas*: retulit ad simplicitatem.

65. *Stoicidae*:* qui sub praetextu philosophiae infamiam exercent.* Dicit contumeliose, ut Virgilius [1]): *O vere Phrygiae.* Et Persius [2]): *Troiades.*

66. *multicia*: vestes molli intextas substamine, quibus solent uti puellae.

67. *Cretice*: hoc nomine vel quemlibet nobilem significat, vel Iulium Creticum, qui sub Caesaribus inlustres causas egit.

68. *In Proculas*: in criminosas.* *Fabulla*: de centum una.

71. *Nudus agas*: minus nuditas, quam infamis ignominia deridetur. *

73. *Vulneribus crudis*: recentibus bellis.

75. *in corpore*: vestimenta. *

76. *multicia testem*: id est, si testimonium admittitur huius, qui his vestibus utitur. *

79. *in plures*: Per te, inquit, Cretice, et alii corrumpuntur. *

81. *Uvaque consp.*: et Virgilius [3]): *Ne mala vicini pecoris contagia laedant.* Hoc et proverbio sumitur: *Uva uvam videndo varia fit.*

---

1) *Virgilius*: Aen. IX, 617.

2) *Persius*: I, 4.

3) *Virgilius*: Eclog. I, 51.

83. *accipient te*: id est, in numerum cinaedorum paulatim suscipiaris. *

86. *tenerae*: id est, novellae. * *abdomine porcae*: pinguedine, aut stent in his ut matronae. *

89. *Solis ara deae*: haec Cereris sacra faciunt. * *Ite profanae*: Cum magis nefas sit ad hoc virorum quemquam accedere, magis viris patet et mulieres pelluntur. *

92. *Cecropiam soliti Baptae*: *Baptae*, titulus libri, quo impudici describuntur ab Eupolide, qui inducit viros Athenienses, ad imitationem feminarum saltantes, lassare psaltriam. *Baptae* ergo molles. Quo titulo Eupolis comoediam scripsit, ob quam ab Alcibiade, quem praecipue perstrinxerat, necatus est. *Cotyton*: Ad exemplum Cotyti dicuntur Isiaca sacra celebrari.

95. *vitreo bibit ille Priapo*: in vitreum penem, quos appellant drillopotae.

97. *Galbina rasa*: polita, tenuiter rasa.

98. *Et per Iunonem*: non per Iovem, sed *per Iunonem*. Ita, inquit, servi iurant, quomodo solebant ancillae Neronis adulantes, *per Iunonem tuam*.

99. *Ille tenet speculum*: Occiso Galba Imperatore, Otho invasit imperium, qui tam probrosae curae in polienda forma fuit, ut humecto pane faciem liniret ad sollicitandum candorem; utebatur et speculo. Hunc incomparabilis vitae bello civili Vitellius vicit apud Bebriacum Campaniae. Horum bellum scripsit Cornelius; scripsit et Pompeius Planta, qui ait Bebriacum vicum esse a Cremona vicesimo lapide. Alias, *Bebriaci*, id est Pontici, unde pelles Bebrinae. Galba enim Ponticus fuit. *Othonis*: nomen cuiuslibet fortis viri, aut ipsius Othonis; subnotatio huius retro scripta ē nue palma. *

100. *Actoris Aurunci*: adlusit de Virgilio [1]).

---

1) *Virgilio*: Aen. XII, 94.

103. *speculum*: in domo Neronis invenerat Nero. * *civilis sarc. belli*: Otho bellum civile gessit cum Vitellio, et victus semet occidit.*

105. *Et curare cutem*: ironia, quando secum speculum portaret Galva.*

106. *Bebriacis campis*: Bebriacos campos, inter Hostiliam et Cremonam, ubi pugnavit Otho cum exercitu Vitellionis et victus se ipsum iugulavit. Occiso vilo principe, ex quo Nero oppressus est, non multo post Otho effeminatus occupavit imperium, quem palato infamior occidit. *

107. *Et pressum*: quia infames faciunt, ad excanendam cutem. *

108. *Sameramis orbe*: Sameramis, uxor Nini, Babylonis civitatis conditrix, a filio suo, cuius concubitus inceste concupierat, occisa est. *

112. *fanaticus albo*: libido sine reprehensione. *

118. *Cornicini*: expertus naturam, eumque grande habere cornu.

121. *Censore op. est an aruspice*: quo emendet, aut quo expiet.

124. *Segmenta*: profusae vestes. *et longos*: fimbriarum, sive vittatas vestes, quibus matronae novae nuptae cooperiuntur. *flamea*: vestis pudori similis, quam et propter pudorem accipiebant.

126. *Sudavit*: Gracchus accepit vestem novae nuptae, qui aliquando Salius Martis fuit. *O pater*: apostrofe cum indignatione ad Martem, auctorem generis Romani. *

127. *nefas tantum*: libidinis. *

128. *Gradive*: Mars.* *urtica*: prurigo.

131. *patri*: id est, Iovi. *

132. *Iugeribus campi*: recede de Martio campo, quem tenes et qui tibi coeperat aedificari. Hic enim ager Tarquinii Superbi fuit; et pro illius fuga Marti consecratus, dictus est Martius Campus. *quem negligis*: quidam dicit, tamquam interrogatus.*

133. *in valle Quirini:* * in colle Quirini. * Ad invidiam dixit *in valle.*

136. *in acta referri:* annalibus contineri.

140. *Natura indulget:* quia illis fecunditatem natura non tribuit. *

141. *Turgida:* Turgida sunt genus medicamenti, quod pregnantes facit et fecundas. * *Lyde:* de Lidia, unde Arachne fuit, conversa in araneam. Haec inclusa in pyxide araneam texit, quae permixta potui fecundam mulierem de sterilitate facit. *Turgida:* alludens; crassa simpliciter intelligendum est aut pregnans. *

142. *Nec prodest agili:* Steriles mulieres februantibus Lupercis se offerebant, et ferula verberabantur. Hoc homine, qui infra tectum multi seminis credit contractus ad foecunditatem dandam. *palmas* ideo dicit, quia aut catomus lactabantur, aut quia manibus vapulant cunei per civitatem, tunc et in solio si qua post ipsum descenderit statim concipit.

143. *tunicati fusc. Gracchi:* qui toga deposita, qua utebantur senatores, tamquam infames tunica utebantur. Hinc lanistae vel dissoluti dicuntur.

144. *gladiator:* Gracchi filius habitu gladiatoris plerumque ad infamiam equabat; retiarius enim fuit.

145. *Et Capitolinis:* quae tunc nobiles intra Urbem fuerunt familiae. *

147. *His licet ipsum:* nobilibus, non Neroni. Nam et ipse pugnavit in gladiatorem, et cantavit in scena habitu citharoedi, et auriga fuit.

148. *retia misit:* quia et Gracchus minor pugnavit. *

149. *Esse aliquos manes:* ἐκφώνησις, proclamatio.

150. *Et pontum et Stygio:* Virgilius [1]: *Ipse ratem ponto subiit, velisque ministrat. — nunc hos nunc accipit illos.* * Hic comparationem contra naturam inducit. *

---

1) *Virgilius:* Aen. VI, 302. 315.

152. *nisi qui nondum aere lavantur*: infantes, quia pueri non dant baluealicum.

155. *Quid Cremerae*: qui apud Cremeram caesi sunt. Ibi enim CCC Fabii occisi sunt, victi a Veientibus, quos Camillus superavit. * *et Cannis*: in Apulia vicus, nomine Canna, ubi Hannibal omnem exercitum Romanorum occidit, victus Paullo et Varrone consulibus. Tantum enim populum superavit, ut tribus modiis anulorum impletis ad Carthaginem miserit. E quibus consulibus Varro fugit, Paulus occubuit. *

156. *Tot bellorum animae*: Lucanus: *inlustres bellis animas*. quae in bello occisae sunt.

157. *cuperent lustrari*: Virgilius [1]): *Idem ter socios pura circumtulit unda.* * *lustrari*: expiari. *

160. *Iubernae*: Iuberna, insula Britanniae, sita in Oceano mari, a qua non longe sunt triginta aliae Orcades insulae, quas Mela scribit. *promovimus*: id est, vincendo ultra Britannias quoque transivimus, sed deteriores sumus his, quibus imperamus. *

161. *minima cont. n. Brit.*: Circa solstitium in Britannia prope nox nulla est, hac scilicet causa, quia vicinus occasus et ortus ibidem solis. Ex obliquo enim terrae margine lux redundat, et proximam sibi insulam et noctibus et diebus illustrem reddit.

164. *Armenius Zalates*: unus, qui in obsidatum datus fuerat, a quodam tribuno plebis corrumpebatur. *

165. *ardenti*: amanti. *

166. *Adspice, quid fac.*: hic sumunt turpes et novos mores. *

167. *mora longior*: si diu fuerint in Urbe morati. *

169. *Mittentur braccae*: dimittentur, ἀφαίρεσις.

170. *Sic praetextatos*: id est, mores, quos filii senato-

---

1) *Virgilius*: Aen. VI, 229.

rum intra Urbem habent, obsides, redeuntes ad suos, reportant, quos ceteri apud se ephebi discunt. *Artaxata*: civitas Armeniae.

SATIRA III.

QUARE UMBRICIUS URBEM DESERAT.

1. *Quamvis digressu*: quia Roma relicta habiturus est Campaniam hortatu quem Iuvenalis dicit, ut Virgilius [1]: *digressu supremo.* *

2. *Cumis*: qua Sibilla Cumana fuit. *

10. *tota domus rheda*: migrantis rei familiaris. *

11. *Substitit ad v. a.*: stetit expectans rhedam, ubi solent proconsules iurare in via Appia ad portam Capenam, id est ad Camenas. *madidam*: ideo quia supra eam aquaeductus est, quem nunc appellant Arcum stillantem. Primum enim usque ibidem fuerunt portae, quae porta Capena vocabatur. *Capenam*: per correptivum, id est, Capenam. *

12. *amicae*: Egeriae nymphae dicit. *

15. *mercedem*: pensionem. *

16. *eiectis m. s. C.*: Templa Camenarum Iudaeis locantur.

17. *Egeriae*: Egeria nympha colebatur in Aricino luco, cum qua Numa et concubium et colloquium se habere simulavit super cultu religionum: quo armorum et pugnae studio flagrantem populum Romanum abstraheret.

20. *nec ingen. viol.*: quia non erant naturales, sed manu factae. Quanto melius esset, si natura sua essent nymphae,

---

1) *Virgilius*: Aen. III, 482.

quam marmoribus exornatae et pollutae a flagitiosis hominibus. *

22. *nulla emol. labor.*: id est, nunc nullus fructus doctis. *

23. *Res hodie min.*: pauperibus; de ipsa parva iam deminuit aliquid. *

29. *Artorius istic Et Catulus*: ignobiles et sordidi ac malis artibus viventes homines, qui ex sordidis rebus divites sunt facti.

30. *qui nigrum in cand. vert.*: qui falsum faciunt, qui norunt mentiri. *

32. *Siccandam eluviem*: ut publici fani cloacam. *port. ad busta*: qui locant se, ut mortuos portent. *

33. *domina ven. sub h.*: qui poscunt a fisco vendi, quasi debitores fisci.

34. *Quond. hi cornicines*: simphoniaci parasitorum. *et municipalis arenae*: gladiatorum aut venatorum, qui in municipiis pugnaverunt, non in Urbe.

36. *verso pollice*: mutata fortuna. *vulgus Quum lubet occ. pop.*: Ab his populus occiditur, quos ante populus iubebat, id est imperabat occidi.

37. *populariter*: amabilium, favente populo.

38. *foricas*: stercora, hoc est vectigal. Forire est pro deonerare ventrem. Forire est non foras eiicere. Alii tabernas dicunt foro vicinas, alii vectigal vinarium, quod ex Africa in Urbem vehebatur, alii domos publico sumtu aedificatas ad locandum, quarum conductores lucra capiebant.

39. *Quales*: ἀνακόλουθον. Dicere ante debuit *tales*, et sic *quales*.

40. *fortuna iocari*: ut de misero faciat divitem. *

42. *laudare*: adulari. * *et poscere, motus Astrorum*: maleficus non sum.

43. *funus promittere*: his, qui sub severo patre agentes, de morte ipsius cogitant.

44. *ranarum viscera*: non sum venenarius.

45. *Ferre ad nuptam*: lenocinium exercere non possum.

46. *me nemo ministro*: non possum assessor esse furis iudicis. Bene adlusit de consiliaribus.

49. *conscius*: criminis.*

54. *Tanti tibi non sit*: Nullae, inquit, divitiae tanti tibi sint, cum mala conscientia habeantur.*

55. *Tagi*: flumen Spaniae, in quo aurum invenitur.*

56. *ut somno careas*: ut velis bonum propositum malis moribus immutare.* *ponendaque praemia*: quae deponere debeas, id est abiicere, negligere; vel reddenda, ut quae mala arte quaesita sunt.

57. *Tristis*: quasi moriturus, ut mala conscientia torquearis.

60. *Quirites*: exclamatio, ut *porro Quirites!*

61. *Quota portio*: Quamvis pauci sunt, tamen Graecam vitiis Urbem fecerunt.

62. *Orontes*: fluvius in Antiochia civitate, per quem Syros significat, ut Virgilius [1]): *Et pontem indignatus Araxes.*

63. *chordas Obliquas*: rusticos tibicines, qui in obliquum tangent.

64. *gentilia*: suae gentis, Orientalia.

65. *et ad Circum*: et hoc a Graecis translatum dicit.

66. *picta*: speciosa.* *picta lupa b. m.*: meretrices.

67. *Rusticus ille tuus*: ecce, in quantum Romani rustici didicerunt luxuriam, et palaestris uti et filacteriis, ut athletae ad vincendum. *trechedipna*: vestimenta parasitica, ut caligulas Graias currentium ad coenam.

68. *niceteria*: vestes peregrinas victis convenientes. Vel *Rechedipna* est ipse, qui coenam facit, ut sit ordo: *o Quirine, ille tuus rusticus Rechedipna sumit et fert niceteria collo ceromatico.* Et est sensus: en tibi, o Romule, rustici tui in omnem diffundi luxum iam didicerunt et palaestris frui et filacteriis. Nam et *niceteria* filacteria sunt, quae ob victoriam fiebant et de collo pendentia gestabantur.

70. *Hic Andro, ille Samo*: hac omnes urbes sunt et

---

1) *Virgilius*: Aen. VIII, 728.

insulae Asiae, quarum amoenitas et coeli temperies dissolutiores efficit viros; quarum accolas in urbem Romam transisse significat. *

71. *a vimine collem*: Viminalem collem.

72. *Viscera m. domum*: interiores amici. *

74. *et Isaeo torrentior*: Isaeus Romae orator omnibus eloquentior. De hoc Plinius Secundus[1]) ait: *magna Isaeum fama praecesserat: maior inventus est.*

77. *schoenobates*: funambulus. *aliptes*: unctor.

79. *Ad summam*: ad postremum, ut Virgilius[2]): *Haec summa est.* ad ultimum omnem vitam dicam.

81. *conchylia*: vestem fucatam et togae erubescendae fucatos habitus: et Romae togae erubescendus in capicium purpuram quasi conchylia signant.

90. *vocem angustam*: gracilem.

93. *Creditur*: Nemo sic effigies imitari potest in agendo comoedus, ut Graecus adfingere quod vult. * *Thaida*: nomen comicum. *

94. *Uxorem comoedus ag.*: An melius aliquis agit comoediam Graeco? Cum aut amicum aut uxorem aut ancillam imitatur, nonne ipsas praesentes creditis exhiberi personas?*

Dorida nullo Cult. palliolo: nullo habitu, quasi veram mulierem. *Dorida*: ancilla. *

96. *Non persona loqui*: Dicas, inquit, in comoedi habitu non fucatam, quin ipsa, qui loquitur, mulier videatur. *

97. *Infra ventriculum*: sine pene, id est, inguina foeminea. *et tenui dist. rima*: naturam muliebrem significat.

98. *Antiochus aut Stratocles*: illius temporis comoedi.

100. *Natio comoeda est*: omnium rerum imitatrix. Quid, inquit, mirum est, si mimus imitatur, quod omnes Graeci possunt? *

---

1) *Plinius Secundus*: Epp. II, 3.

2) *Virgilius*: Aen. IV, 237.

101. *Concutitur; flet*: id est, et risum et lacrimas imitatur. *

103. *Accipit*: si pallium vestierit, et ipse poscit. * *endromidem*: lodicem, qua se cooperiat.

107. *minxit amicus*: dives, cum quo est Graecus. *

108. *Si trulla*: si pepederit; alii sic intelligunt, si calix aureus crepitum dederit, cadens e manu divitis.

109. *ab inguine tutum*: id est, corrumpunt omnia. *

110. *matrona domi*: non domina domus. *

111. *ante pudicus*: ante adventum ipsius castus. *

112. *aviam resupinat amici*: Si nullus horum sit, qui possit corrumpi: si fuerit anus, ad ipsam se convertit.

113. *Scire volunt*: conscii esse volunt rei familiaris. *

114. *transi Gymnasia*: praetermitte minora eorum vitia, et veni ad maiora. *

115. *facinus maioris abollae*: proverbium, quasi maioris togae, id est, sceleris potioris. Vel per ironiam dixit, quasi sanctioris philosophiae. *abolla*: species est maioris vestis, quasi pallii maioris.

116. *Stoicus occidit*: Detulit Stoicus Imperatori discipulum suum Baream, dicens, quasi in eius perniciem cum caeteris coniurasset. Hoc temporibus Neronis factum est. *

117. *ripa n. in illa*: apud Tarson civitatem Ciliciae, quam praeterfluit amnis Cidnus; cuius urbis conditor Perseus, qui nomen civitati ex facto dedit, quia ibi una ex talaribus pinnis ei excidit.

118. *Gorgonei*: Pegasum dicit, Medusae sive Gorgonae filium. * *pinna cavalli*: apud Tarson propter Perseum et Pegasum, quod de sanguine Medusae equus natus sit Pegasus. *

120. *Protogenes*: nomina Graecorum. *

121. *Qui gentis vitio*: Graeci enim soli volunt maioribus amici esse, hoc est μονοφιλεῖς.

122. *stillavit*: susurravit. *

123. *de nat. patriaeq. veneno*: ad levitatem illorum. *

124. *perierunt temp.*: quicquid ante obsecutus sum. *

125. *Nusquam minor est*: nusquam damnum est in cliente perdendo, quam propter Graecum excludi. *

126. *Quod porro offic.*: Quid faciat pauper, si dives officium sordidum non abnuit aut contemnit? Quid, inquit, pauper amplius facturus est, cum ipse patronus ad aliorum festinet obsequium? *

129. *Praecipitem*: festinantem. * *dudum vigil. orbis*: uti sibi praetor tutorem det; qui eos contemnens festinat.

131. *cludit latus*: aut in medium servum mittit, aut in sinistra ambulat.

132. *alter enim*: Cogitet, inquit, ingenuus currere cum servis, qui se facultatibus vincunt. Quantum enim tribuni solent accipere stipendii, tantum servi meretricibus donant. *

133. *donat Calvinae*: praetoris cuiusdam soror, quae se occidit, tanquam infamis in fratre, temporibus Claudii.

136. *deducere sella*: inde sellariae dicuntur. Unam meretricum a sella sua abducere conductam cunctaris, cum alii adulteria emant.

137. *quam fuit hospes*: Scipio Nasica, quem propter probitatem vitae senatus elegit, ut simulachrum Matris Deum, de Phrygia allatum, domi suae haberet, dum ei templum fieret. Hic est Scipio, qui oppressit Tiberium Gracchum, leges agrarias ferre conantem.

138. *vel qui servavit*: L. Metellum dicit, pontificem maximum, qui, ardente templo Vestae, Palladium ex mediis ignibus rapuit ibique caecatus est. Iste cum per Latinam viam proficisceretur, augurio corvi in oculos suos involantis, revocatus est, et Palladium cum ex incendio rapuisset, passus est caecitatem.

143. *Quantum quisque sua*: Lucillius [1]): *Aurum atque ambitio specimen virtutis utrique est, Quantum habeas, tantum ipse sies tantique habearis.*

---

1) *Lucillius*: Reliq. p. 201.

145. *contemnere ful. paup. Cred.*: pauperi, quasi propter egestatem periuranti, dii non irascuntur.

150. *consuto vulnere*: a sutriballo sutus.

154. *et de pulvino*: Non sedeat, inquit, in ordine vel in numero equitum pauper.*

155. *Cuius res legi non suff.*: Othonis, qua iussit eos, qui quadringentorum sestertiorum haberent reditus, in numero equitum esse.

157. *nitidi praeconis filius*: divitis de genere gladiatoris.*

158. *Pinnirapi*: *a pinna.* Pinnis pavonum ornari solent gladiatores, si quando ad pompam descendunt. Pinnirapes autem dicit lanistas, ex habitu gladiatorum; quia post mortem retiarii pinnam, id est manicam, rapit, ut ostendat populo se vicisse. Aut ideo pinnirapes, quia pinnas in galeis habebant, ut Lucillius [1]: *Cum septem incolumis pinnis redit ac recipit se.*

159. *distinxit*: discrevit et proiecit de numero eorum, qui habent quadringenta sestertia.*

160. *Quis gener*: quando gener placet pauperior?*

161. *Sarcinulis*: nunc doti. *Colligit autem quasi incommoda paupertatis, ut non maritus uxori sit pauperior.*

162. *Quando in consilio*: in curia non suscipitur pauper.* *Agmine facto*: Collecta, inquit, multitudine, debuerant pauperes migrare ex Urbe; nunc, quasi non pauperes, sed quasi Romae mediocres, gravius transient.*

165. *Res angusta*: paupertas.*

166. *Conatus*: conversatio.* *hospit. miserabile*: care manetur pensioni.*

167. *Servorum ventres*: cibaria servorum *care emuntur.* *frugi coenula*: id est, mediocris cenula care comparatur.*

168. *Fictilib. coenare pudet*: In Urbe in fictilibus vasis manducare turpe videbatur; quodsi apud Marsos aut Sabi-

---

1) *Lucillius*: Reliq. p. 280.

nos videris, negabis esse turpe.* *quod turpe negavit*: Scipionem dicit. †

169. *Sabellam*: diminutive, Sabinam. *

170. *veneto dur. cucullo*: aut crasso habitu, aut quales cucullos habent Perusini. Vel a colore aut provincia *venetos.*

172. *Nemo togam s. n. mor.*: ut ei supra lectum mittant, dum mortuus effertur.

173. *colitur si quando*: quum post longum tempus celebrantur ludi. *

174. *notum Exodium*: devotio. Non novum aut exquisitum.*

175. *Exodium*: Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret: ut quicquid lacrimarum atque tristitiae coegissent ex tragicis affectibus, huius spectaculi risus detergeret. Huius et Lucillius [1]) meminit: *Principio exitus dignus, exodiumque sequetur.*

177. *Aequaleis habit. illic*: actores mimorum similes spectatoribus videas, ex vestis habitu pares. *

178. *Orchestram*: Orchestra spatium, in quo saltat pantomimus, vel qui in orchestra procedit aut spectatur.

180. *habitus nitor*: potest esse genitivus, huius habitus nitor; possunt et singula pronuntiari, nominativo casu. *

184. *Cum pretio*: tunc, tempore suo vilem et superbum. *

185. *respiciat clauso lab.*: ut salutatus, tamen vel respicere dignetur. *

186. *metit barbam*: id est, tondet. *

188. *Fermentum*: dulcium malum, quod stomachum indigestum praestat. *praestare tributa*: sic fit, ut damno quatiaris, si fueris salutatum. *

189. *cultis*: bene vestitis; quippe festo die suo servis donare cogimur, ut admittamur ad salutationem dominorum.

190. *gelida Praeneste*: aut ab aquarum abundantia dicit *gelida*, quia omnia, quae in Urbem, inde veniunt; aut frigorosa. *

---

1) *Lucillius*: Reliq. p. 216.

191. *nemorosa*: silvestria. *

192. *Simplicibus*: non ornatis. *proni Tiburis arce*: in praecipiti posita, ut Horatius [1]): *clivumque supinum.*

193. *tenui tibicine*: tibicinatam, tanquam tibicine, id est, materia gracili.

196. *dormire ruina*: Erepturas parietum calce modica perfundunt et inquilinos iubent manere, tanquam si restaurassent ruinam.

198. *frivola*: supellectilem pauperis dicit. *

199. *Ucalegon*: ex Virgilio [2]): *iam proximus ardet Ucalegon.* *tabulata t. iam ter.*: superiora tecta et tristega.

200. *gradibus ab imis*: a prima scala. * ut si a prima scala coeperit ardere, is novissimus sentit, qui sub tecto manet. *

202. *A pluvia*: quia parietes texti rari et ruinosi perflant. † *columbae*: quia super tecta columbaria fiunt.

203. *Codro*: pauper poeta, cuius et supra meminit. *

204. *Ornamentum abaci*: quod nos Delficam dicimus.

205. *Canth. et recubans*: quemadmodum solent e marmoribus facere sigilla diversa; *recubans* enim a posteriore parte recumbens Hippocentaurus fingitur.

206. *cista libellos*: in arcula libros inutiles vel imperitos. *

207. *Et divina opici*: Opizein Graeci dicunt de iis, qui imperite loquuntur. Alii opicos dicunt eos, qui foedam vocem habent.

210. *frustra rogantem*: aut sine causa, aut panem petentem.

211. *iuvabit*: suscepit. *

212. *Asturici*: nobilis senatoris. * *horrida mater*: id est, divitis mater. A parte totum, id est matronae. Item *horrida mater*, mater familias. *

---

1) *Horatius*: Od III, 4, 24.

2) *Virgilio*: Aen. II, 311.

213. *Pullati proceres*: cum nigris vestibus lugentes. *vadimonia*: lites sive iudicia. *

214. *tunc odimus ignem*: non incendium Laris nostri, aut prae tristitia aut propter casum, nec focum in domo nostra fieri patimur: quod et lugentes observare solent.

215. *marmora donet*: id est, diviti omnia conferuntur. *

216. *candida signa*: statuas marmoreas.

217. *Eufr. et Polycleti*: Atheniensium caelatorum.

218. *Haec Asianorum*: superstitiose gentem nominavit.

219. *et forulos*: armariam sive bibliothecam.

221. *Persicus*: Persicum quasi divites posuit, eo quod Persae divites. Sic Horatius [1]): *Persicos odi.* Terentius [2]): *dinumeret nunc ille Babylonias.*

222. *ipse incenderit*: Ideo suspicati sunt ultro ipsum succendisse domui suae, quo meliora et ampliora ei collata sunt.*

224. *Aut Fabrateriae*: civitatum nomina Campaniae.

227. *defunditur haustu*: in fluentem aquam. *

228. *villicus horti*: terram colens. *

229. *Phytagoreis*: secta phylosophorum, qui ab animalibus abstinent et olera tantum manducant.

231. *fecisse lacertae*: notandum, quia feminino genere dixit *lacertae*, cum Virgilius [3]) masculino dixit *lacertos*, et aut ad animal retulit, quia sunt in agro quam plurimi, aut lacertam pro horto posuit, per quem discurrere et latitare consuevit.

233. *languor. peperit*: indigestus vigiliis. *

234. *meritoria*: tabernae, ab eo qui mercedes praestat.

235. *Magnis opibus dormitur*: magna potentia silentium imponitur viciniis tabernariis, ut magno pretio somnus constat.

237. *convicia*: molestia. * *mandrae*: locus, in quo porci includuntur.

---

1) *Horatius*: Od. I, 38, 1.

2) *Terentius*: Adelph V, 7, 17.

3) *Virgilius*: Eclog. II, 9

238. *Druso*: Drusus, qui multum dormiebat.* *vitulisque mar.*: quia vituli marini multum dormiunt.*

239. *Si vocat officium*: si officium faciendum sit consuli a praetore, disponit, qui viam faciant.

240. *Liburno*: a lectica magna liburnatos, et gerulos liburnos. Ipse [1]): *tarde venisse Liburno*, in secundo libro.

243. *Ante tamen veniet*: quod festinat, ante nos venit, cum ab omnibus illi locus transeundi detur.* *obstat*: impedit.*

244. *Unda prior*: populi multitudo stantis ad officium.

245. *assere duro*: amite lecticae; lecticarios significat.

246. *metretam*: vas, quod amphoram capit.

247. *Pinguia crura*: currenti; ut festinanti fierent crura lutosa.*

249. *quanto celebr. sport. fumo*: quanta inundatio fiet sportulam accipientium.* *fumo*: apparatione.

250. *Centum convivae*: perinde convivium, quia sibi faciunt in commune. *sequitur s. q. c.*: pulmentaria portant secum, comparata ex sportula.

251. *Corbulo*: Alii dicunt athletam illius temporis fortem Corbulonem fuisse, alii genus navis.

253. *ventilat ignem*: cursu enim ventilatus ignis ardet.*

254. *Scinduntur tunicae*: cuiuslibet pauperis.* *coruscat*: apparet.*

255. *atque altera*: vehicula; nam materias portantia euntibus impediunt.*

256. *nutant altae*: in altum se extollunt.*

257. *Ligustica*: nomen insulae.

258. *agmina montem*: saxum immane.*

260. *Obtritum*: minutatum, concisum.*

261. *More animae*: sicut animae non videntur, ita cadavera minutatim concisa obteruntur.

---

1) *Ipse*: Sat. VI, 477.

263. *lintea gutto*: et apparatur ad balnea ferre, si venerit, quem nescit peremptum. *gutto* autem ab eo, quia guttam mittit: quos habent capsarii. *Strigula* autem est, quod xystram dicunt, unde oleum deteritur.

265. *Iam sedet in ripa*: id est, qui defunctus est, mox ad inferos pervenit, ut Virgilius [1]): *Inter quas Foenissa recens ab Venere Dido.**

266. *Porthmea*: Carinam Porthmeum dicit, non angustum traiectum. *coenosi gurg. alnum*: id est, Acheruntem. *

267. *q. p. ore trientem*: nummum, stipem. Et nunc apud Athenienses mortuis solent in ore nummum immittere, ut apud inferos non tamquam inopes errent; unde naulum Charon accipere solebat, ut Virgilius [2]): *Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est.*

269. *unde c. Testa ferit*: id est, quanto in excelso sunt insulae, vel quemadmodum coniuncta.

274. *Intestatus eas*: putas periculum sustinere, si non feceris testamentum, et sic ieris ad coenam.* *tot fata*: tot mortes. *

275. *te praetereunte*: quasi per omnes fenestras iactare soleant et praetereuntes occidere. *

277. *Ut sint contentae*: *Hoc tibi, inquit, opta,* ut stercore perfundaris potius, quam alio gravi pondere feriaris. *pelves*: conchas, in quibus pedes lavant, ut vasa fictilia, ποδόνιπτρα.

278. *petulans*: luxuriosus. *

279. *noctem patitur*: Quomodo Achilles moestus fuit pro Patroclo, quando occisus est, sic patitur, si neminem ceciderit, id est, non potest dormire sine lite.* *amicum Pelidae*: Achillis, qui morte Patrocli moestus fuit.

282. *Quibusdam Somnum rixa facit*: Iuvenes libidinosi et luxuriosi libentius dormiunt, si ceciderint aliquem.

---

1) *Virgilius*: Aen. VI, 450.

2) *Virgilius*: Aen. VI, 323.

283. *coccina laena*: purpura, qua divites olim utebantur. Virgilius [1]): *varioque ardebat murice laena.* Aut antiqui amphimallum laenam appellabant. Quod Graeci coccum, Latini veteres birrum vocarunt.

284. *Vitari iubet*: fuit multitudinem servorum.*

286. *lampas*: candelae lumen.* *luna solet*: aut in obscuro, aut ad lumen lunae.*

287. *cuius dispenso*: cuius candelae papirum temporibus partior, ut duret. *dispenso*: dispono. *tempero*: ne aut citius ardeat, aut extinguatur.

289. *Si rixa est*: si rixa dicenda est.* *ubi tu pulsas*: caedis, ut Terentius [2]): *Ego vapulando, ille verberando, usque ambo defecti sumus.*

291. *Nam quid agas*: Quid sis facturus, si a fortiori et furioso cogaris?*

293. *Cuius conche*: cuius faba inflatus es. *sectile porrum*: folia porri, sive condimentaria.

296. *proseucha*: quidam nomen loci dicunt ad convivium constitutum, ex gaudio dictum; alii locum ad quem convenire solebant mendici ad stipem petendam; alii tabernam, in qua pauperes vivant. *προσεύχεσθαι* enim Graece orare dicitur, et proseucha locus Iudaeorum, ubi orant.

298. *Tantundem est*: sive loquaris, sive taceas, uniter cedit.* *vadimonia d.*: postea accusant.

300. *adorat*: Hoc est paupertatis miseria, ut post caedem in se collatam, etiam et causas dicat.*

301. *paucis cum dentibus*: id est, excussis dentibus.*

304. *Fixa catenat.*: quia catenas grandes ferreas per singulos axes inducunt.

305. *Interdum et ferro*: aliquotiens occidunt.* *grassator*: miles.

---

1) *Virgilius*: Aen. IV, 262.

2) *Terentius*: Adelph. II, 2, 5.

306. *Armato*: Quoties latrones, praesidiis conlocatis, a solitis locis depelluntur ac deiiciuntur, Romam quasi ad certas praedationes et ad paratos pastus confugiunt.

307. *Et Pomptina*: loca sunt abundantia latronibus in Campania.

308. *inde huc omnes*: ubi plures inveniant, quos occidant. *

310. *Maximus in vinclis*: id est, omnes fabri vincula operantur. *

311. *Vomer, mar. et sarc.*: ferramenta, quibus terra colitur.

313. *atque tribunis*: qui post reges consulari potestate rempublicam gubernarunt.

314. *Viderunt uno*: Tulliano scilicet, cuius aeque et Sallustius [1]) meminit.

315. *His alias*: Umbrici verba. *plures subnectere*: poteram et alia incommoda Urbis dicere, nisi animalia me vocarent iam dudum. *

316. *iumenta vocant*: hoc est hone[ra]stas expectant. *
sol inclinat: sero fit. *

319. *reddet Aquino*: civitati Campaniae, unde fuit Iuvenalis.

320. *ad Helvinam Cererem*: namque apud Aquinum colunt numina earum dearum, quae colunt in Galliis.

---

1) *Sallustius*: Cat. 55.

SATIRA IV.

DE PISCIS MAGNITUDINE VEL DE CONVIVIO DOMITIANI.

1. *Ecce iterum*: de quo superius. Crispinum dicit, qui sua terra Aegypto egentissimus fuit, et postea factus est magister equitum Neronis. *mihi saepe vocandus*: a me, qui saepe vitiis ipsius excitor, ut crimina ipsius dicam.

2. *Ad partes*: quasi convivii et copulationis mensae. Ita et Sesenus lib. II. ait: *non dignus, in quem debeam saturam calente vi adingerere.* Aut ad partes operis mei. Metaphoram facit a comoedia, quia scenici ad partes suas solent vocari.

3. *aeg. solaque lib. for. Del.*: figura. Quid est Crispinus? Aeger solaque libidine fortis, Deliciae. *fortis*: ut quem nullus potest etiam a consuetis vitiis deterrere.

4. *spernatur adulter*: in minore debilis scelere.

5. *Quid refert*: quid prodest, quod dives est, cum sit moribus criminosus. *

6. *nemorum vectetur in umbra*: viridiaria, ubi solent gestari.

7. *Iugera*: hortos aut spatia dicit in suburbio.

8. *Nemo mal. felix*: id et, qui malus est plerumque felix est, ut sic omnis malus, qui felix est, corruptor necesse sit. *

9. *cum quo nuper*: ultimum Flaviae gentis, Domitianum, dicit. Hoc enim ordine regnaverunt, Nero, Vespasianus, Titus, Domitianus.

10. *Sanguine adhuc vivo*: Haec virginibus Vestae poena fuit decreta: si vitiatae fuissent, vivae in parietibus struebantur aut sub terra obruebantur.

12. *sub iudice morum*: damnaretur a censore.

13. *Nam quod turpe bonis*: inrisive laudat, comparatione Crispini *bonos* dicens, non ea obiiciens, quae in eum turpissima sunt.

15. *persona est*: non homo, sed persona.

16. *Aequantem*: sex librarum, qui tantum potuit habere in pondere, quantum in pretio.

17. *qui de magnis*: divites, gluttones.

18. *si munere tanto*: Hoc argumento utebatur ad celibes, ut muneribus eos levissimis corrumpens, hereditatem illorum captaret. *

19. *Praecipuam in tab. cer.*: primam, in qua heredes primi scribuntur. *abstulit orbi*: *orbi*, id est, qui non habet liberos.

20. *Est ratio ulterior*: est et alia ratio, quae eum cogeret grandem piscem emere, ut per eum matronam corrumpat. *

21. *antro*: lecticam mulieris aut sellam clausam dicit.

22. *Nil tale exspectes*: non potest dici luxuriosus et heredipeta ventris suae cultor. *

23. *Apicius*: auctor praecipiendarum cenarum, qui scripsit de iuscellis. Fuit enim exemplum gulae. *Hoc tu*: ad comparationem Crispini. *

24. *Succinctus patria*: biblo Nilotica. Fuit nam Aegyptius Alexandrinus, in qua papyrum nascitur in Nilo. Sic, ut vult Iuvenalis, Crispinus cartapola fuit.

25. *Hoc pretio squamae*: piscis; a parte totum.

26. *Provincia tanti*: anthypophora, quasi Crispinus hoc responderit: Quid mihi invides? Apulia curios agros vendit, ut maiores pisces vendit, quos tu provincialibus gratis abstulisti. Et ironia, *maiores Apulia vendit.*

27. *sed maiores*: amphibologia, utrum agros, an mulos: vel per anastrophen postpositum sit *sed*, hoc pacto: *sed agros maiores Apulia vendit.* Vel certe, provincia tanti vendit agros, quanti tu mulos emisti.

28. *Quales tunc ep.*: Quantas, inquit, epulas piscis ipse

consumpsit, cum extremae mensae epularum pars tanto constaret. Et figuratos sextertia partem exigit. *

29. *Induperatorem*: Neronem dicit gluttonem, ut Domitianus sub Neronis nomine lateret.

31. *Purpureus*: a vestis colore. Crispini satelles est idem Domitianus.

32. *Iam princeps*: magister equitum Rom. factus est scilicet.

33. *facta de merce siluros*: id est, fracto vase sardarum eiusdem municipii, unde ipse, Aegyptius. Siluri nam pisces sunt Alexandriae, unde fuit Crispinus, nullius pretii, quos inopes in Aegypto venditant.

34. *licet et considere*: aut summisse dicere, aut proprie, res tenues dicere.

36. *prosit mihi vos*: Virgilius [1]): *prosit nostris in montibus ortas.* Id est, ad laudem vestram sufficiat vos puellas nominatas.

37. *Flavius*: ut quidam dicunt, delator fuit. *

38. *Ultimus, et calvo*: Hoc convicium in Fl. Domitianum, Titi fratrem, Vespasiani filium, iactat, qui calvus fuit, ut Suetonius refert. Propter quod Iuvenalis sub specie honoris relegatus est ad cohortis curam in Aegypto Hoasa, ubi mortuus est. *Ultimum* autem dicit, quia in illo Caesarum origo defecit; et cum Vespasianus et Titus et Domitianus Flavia ex gente fuerint, Domitianus ultimus illorum et dissimillimus imperavit. Meminit hoc Valerius Martialis in epigrammate, his vero sibi finit: *Flavia gens, quantum tibi tertius abstulit heres, Paene fuit tanti non habuisse duos.*

39. *rhombi*: piscis formae magnitudo.

40. *Ante domum*: ante templum, id est, Veneris. * *quam Dor. sust. Ancon*: Ancona Dorica, id est, Graeca civitas, quam Graeci in Italia condiderunt.

---

1) *Virgilius*: Aen. IX, 92.

41. *Implevitque sinus*: id est, retia. Virgilius [1]): *implevitque sinus sanguis.*

42. *Quos operit*: quia qui in Ponto et Maeotica palude capiuntur pisces, immanes et pingues ex ipsa tarditate; quoniam, quando gelat, in glacie haerent. Sallustius [2]): *itaque tempestate piscium vis Ponto erupit.*

43. *Solibus*: id est, soluta a sole glacie. *torrentis*: perfluentis, currentis. Illic nam rheuma quoddam trahit mare.

44. *Desidia*: quia sunt nullo exercitio pinguiores propter hiemem. *

46. *Pontifici summo*: ironia.

47. *cum plena et littora*: non solum fora.

48. *protinus algae*: id est, in alga, cum a piscatoribus inquirebant. *

50. *Non dubitaturi*: Hoc dicerent, inquit, calumniatores vel delatores, Hic talis piscis de vivario Caesaris elapsus est, et quia ibi pastus est, eodem debet reverti. *

53. *Si quid Palfurio*: Palfurius Sura, consularis viri filius, in agone cum virgine Lacedaemonia sub Nerone luctatus est. Post inde a Vespasiano senatu motus, transivit ad Stoicam sectam, in qua cum praevaleret et eloquentia et artis poeticae gloria, abusus familiaritate Domitiani, acerbissime partes delationis exercuit. Quo interfecto, senatu accusante, damnatus est; cum fuissent inter delatores potentes apud Domitianum et hi, Armillatus, Demostenes et Latinus archimimus, sicut Marius Maximus scripsit. *Armillato*: nomina delatorum. *

56. *Ne pereat*: fisco, quod iam distrahi non potest. *cedente pruinis*: hieme. Corrumpi ab aestu non poterat, quia autumno decedente hiems venit. Virgilius [3]): *at cum tristis hiems.* *

---

1) *Virgilius*: Aen. X, 819.

2) *Sallustius*: Fragm. p. 217, 27.

3) *Virgilius*: Georg. IV, 135.

57. *Autumno*: per autumnum nam vigilant morbi.*

59. *Auster*: ventus calidus, quo pisces corrumpuntur.

60. *Utque lacus*: id est, cum prope lacus Albanenses iam venisset piscator.

61. *Ignem Troianum*: Romani Tullo Hostilio rege cum diruissent Albam, sacra sublata Romam transtulerunt et deos penates. Quorum penetrale tam venerabile deprehensum est, ut lapidatio de coelo caderet supra memorati ponderis. Propter quod prodigium, ex libris Sibyllinis, iussi pontifices ex SC. Albae sacra renovare. Tanta enim repente, cum ea vellent transferre, grando cecidit, ut intelligerent, suis locis sacra non esse movenda. Inde ibi perseveranti deo. Et Vestam *minorem* dixit ad compositionem.

63. *Ut cessit*: ianuae Palati praebuerunt itum pisci.*

65. *Picens*: piscator de provincia, ubi piscis captus fuerat.

67. *laxare saginam*: Alii *sagittis*, ut sit sensus, acutis curis, ut exercitatione sagittarum digestioni, inquit, et harenis, quibus vectari illum debere dicit ob cibum futurum. Legitur et *saginis*, id est, escis futuris stomachi indigestum praeparare.

69. *et tamen illi*: adsentatione ac laude intumescebat Imperator, quamvis falsa.

71. *diis aequa potestas*: regnum scilicet.

73. *quos oderat ille*: hoc ad mores infert regis, non ad illorum merita.

75. *Pallor amic.*: simulatae. Cicero [1]: *Nulla est occultior res insidiis, quae latent in simulatione officii.* *clamante Liburno*: qui admissionibus praeerat.

77. *Pegasus*: trierarchi filius, ex quibus Liburnae parasia nomen accepit, iuris studio gloriam memoriae meruit, ut liber vulgo, non homo diceretur. Hic functus omni honore, cum provinciis plurimis praefuisset, Urbis curam administravit. Hinc est Pegasianum, scilicet ius, quod iuris peritus

1) *Cicero*: Fragm. p. 578. Orell.

fuerat. *villicus Urbis*: eleganter sub Nerone Urbis praefecturam iacuisse dicit; quasi scilicet Urbs ipsa iam tum esset villa Principis. Et de villico urbano Sat. III.

79. *Interpres legum*: iuris peritus fuit, ut praefectus; unde ius Pegasianum. *

80. *inermi Iustitia*: quanquam optimus, tum pro tempore omnia iniuste agenda credebat.

81. *Crispi i. senect.*: Lucanus [1]): *fractisque modestior annis.* Crispus, municeps Viselliensis, tirocinio suo in senatu ita coepit: *Patres conscripti et tu, Caesar.* Propter quod simul oratione plenissime a Tiberio conlaudatus, plurimas sponte causas apud C. V. egit. Pro qua re in basilica Iulia eius statua posita est. Consulatus duos gessit. Uxores habuit duas, primam Domitiam, deinde Agrippinam, illam amitam, hanc matrem Neronis Caesaris. Possedit bis mille sestertia. Omnium principum gratiam adpetivit, sed praecipue Caii Caesaris, quem iter facientem secutus est pedibus. Hic, nullo audiente, a Nerone interrogatus, haberetne, sicut ipse, cum sorore germana consuetudinem, Nondum, inquit; quantumvis decenter et caute, ne aut negando eum argueret, aut adsentiendo semet mendacio dehonestaret. Periit per fraudem Agrippinae, quam heredem reliquerat, et funere publico elatus est.

87. *Cum quo de pluviis*: de rebus frivolis et usualibus * loquentes, vehementer timebant.*

89. *brachia contra*: id est, nunquam voluntati bonae Neronis obstitit. *

90. *nec civis erat*: aut ipse Crispus, aut quicumque.

91. *Verba animi proferre*: nemo potuit libere loqui sub illo. * *et vitam impendere vero*: ut Virgilius [2]): *animasque in vulnera ponunt.*

---

1) *Lucanus*: VIII, 476.

2) *Virgilius*: Georg. IV, 238.

92. *Sic multas hiemes*: sic in vita diu multumque duravit, dum praeceptis Caesaris paret. *

94. *eiusdem p. A. aevi*: Virgilius [1]): *Ut regem aequaevum.* *Acilius*: consul sub Domitiano fuit, indignus pati, quae passus est; huius cum filium iuvenem Nero occideret, ipsum Acilium servavit, qui poenas sentiret orbitatis.

97. *Prodigio similis*: quasi prodigio similis est nobilibus senectus. Difficile nam nobilibus continget senescere. Plerumque nam immatura morte occiduntur, praesertim sub Domitiano. *

98. *fraterculus e. Gigantis*: ut omnes me oderint aut timeant aut contemnant. id est, ignobiles pro Gigantibus.

100. *ursos*: In lusorio Caesaris iuvenis iste ursos saepe, quasi venator, occidit.

101. *artes*: fraudes.

103. *barbato*: Tarquinio Superbo. Propexam enim barbam habuit, cum socer eius Servilius adtonsam haberet, quem ipse occidit. Dicit ergo cinaedum non facile posse falli, et facilius eludi posse fortem, quam infamem. Stoliditatem finxerat Brutus, ne a Tarquinio occideretur. *barbato*, et rustico intelligitur.

105. *Rubrius*: Rubrius iste aliquando Tibiam in pueritia corruperat et verebatur, ne pro hac mercede poenas ab ipso reposceret.

106. *improbior*: qui in aliis sua vitia reprehendebat.

107. *Montani q. v.*: Montanus pinguis et ventrosus erat. Et acerbe ventrem potius, quam ipsum venire dixit.

108. *Et matut. s. C. amomo*: Orientali unguento mane sumpto.

110. *tenui i. a. susurro*: levi susurro alios deferens, neci tradere; aut per leves suspiciones solitus homines iugulare.

112. *Fuscus*: Fuscus sub Domitiano exercitui praepositus, in Dacia periit. Notat autem eum, quia, cum luxuria

---

1) *Virgilius*: Aen. II, 561.

diffiueret, inter delitias bellorum actus exercebat. *praemia villa*: in sua villa; qualis ille bellator, qui in hac luxuria bellorum fortia meditabatur! *

113. *Et cum mortifero*: delatore. *prudens Veiento*: utrum ad nocendum, an ad sapientiae rigidiorem, an adulandi peritus et temporum. *Veiento Catullo*: *Veiento*, nominativus. Hos quoque vult studio crudelitatis Neroni fuisse familiares. *

114. *Qui nunquam visae*: * qui eas amat, quas nunquam viderat. * Caecus enim amator fuit Catullus.

116. *di. a ponte satelles*: de numero mendicorum.

117. *Dignus Aric.*: qui ad portam Aricinam, sive ad clivum mendicaret inter Iudaeos, qui ad Ariciam transierant, ex Urbe missi.

118. *devexae i. b. rhedae*: qui caecus rhedae ferenti mulieres, inclinatae et per clivum descendenti, oscula iactaret.

119. *Nemo magis*: quam Catullus, caecus adulator. Nam in sequenti dixit: *non cedit Veiento*, utique Catullo.

120. *dextra iacebat*: tantae adulationis erat iste Catullus caecus, ut cum ei piscis ad dextram iaceret, ad sinistram respiciens, laudaret et miraretur. *

121. *laudabat*: sic omnia, quae non videbat, referebat. *

122. *ad velaria*: ad alta theatri velamina. *raptos*: pergat ad Romam, aut de pegmate excussos. *

123. *Non cedit Vei.*: laudationibus Catulli non cedit Veiento, sed tanquam stimulatus furore. *

126. *de temone Britanno Excidet*: ad pedes de regno. Falcatis nam curribus Britannorum rex Arbila.

129. *Fabricio*: Veientoni; nam ipse est Fabricius.

130. *Quidnam igitur*: Nero dicit.

131. *Testa alta*: patella, in qua possit integer coqui.

133. *Debetur magnus patinae*: figuram hic dicitur posuisse propter Magnum Pompeium, quoniam Patina dictus est, qui sustulit caput eius. *Prometheus*: satyrice, figulus.

135. *tua castra sequ.*: Montanus dicit. *

136. *Vicit*: Neronem Montanus.*

137. *Luxuriam*: qua corrumpebatur Nero. *

138. *aliamque famem*: libidinis oris perverum. Hoc ideo, quia aviditas cibi sequitur nimiam perpotationem.

139. *Nulli*: quam Caesari Domitiano, aut certe Montano.

141. *Lucrinum ad saxum*: locus Brutiorum. *Rutupinove*: locus in Britannia, sive civitas.

147. *Tanquam de Catthis*: gentes Germanorum sive Francorum.

149. *epistula pinna*: Antea, si quid nunciabant consules in Urbem, per epistolas nunciabant. Si victoriae nunciabantur, laurus in epistola figebatur, si autem aliquid adversi, pinna figebatur.

150. *dedisset Tempora*: ut solum nugis rebus vacasset. *

153. *cerdonibus*: ignobilibus. Cerdo est proprie turpis lucri cupidus.

154. *hoc nocuit Lamiarum*: hoc nocuit, ut occisis nobilibus, et a cerdonibus timeretur. Ut iam non essent nobiles, qui timerent, omni nobilitate extincta. In Lamiis indignatur satyricus. Tunc periit, cum eum populus timere coepisset, extincto iam senatu.

SATIRA V.

IN PARASITOS DE CENIS CONTUMELIOSIS.

1. *Si te propos.*: de iuvene contumelioso in parasitos dicit.*

3. *Si potes illa pati, quae nec Sarmentus*: Sarmentus natione Tuscus, e domo Marci Favonii, incertum libertus an servus, plurimis forma et urbanitate promeritis eo fiduciae venit, ut per equitem Romanum ageret et decuriam quoque quaestoriam compararet. Quare per ludos qui ibi primus quatuordecim ordinibus sedit, haec a populo in eum dicta sunt: *Aliud scriptum habet Sarmentus, aliud populus voluerat. Digna dignis: sic Sarmentus habeat crassas compedes. Rustici, ne nihil agatis, aliquis Sarmentum alliget.* Dum ut caussam usurpatae dignitatis hic pro civibus et gratia summoto accusatore dimissus est, cum apud iudices nihil aliud docere tentaret, quam concessam sibi libertatem a Maecenate, ad quem rectio bonorum Favonii pertinuerat. Iam autem senex in maximis necessitatibus, ad quas libidine luxurieque deciderat, coactus auctionari, cum interrogaretur, cur scriptum quoque censorium venderet, non infacete, bonae se memoriae esse respondit.

4. *Gabba*: parasiti Caesaris fuerunt. Apicius Gabba sub Tiberio scurra nobilis fuit.

5. *Quamvis iurato*: hoc quasi parasitus iureiurando confirmet.*

8. *Nulla crepido*: Crepido est ora terrae, quam aqua alluit; ex hoc appellata, quod ibi aqua allidens concrepitet.

et tegetis pars: pinnatae sportae, aut tegetis de sirpo factae.

10. *illic*: in crepidine.

11. *farris mordere canini*: cantabri; panis sordidus canum est.

12. *Primo fige loco*: In prima pone iniuria, quod, si iusserit, ut recumbas, putat se in hoc totum solvisse, quicquid unquam obsequiis meruisti. *

14. *Fructus amicitiae*: Ita reddunt in clientibus merita. *

imputat hunc rex: Quid aliud non imputet, ubi et hoc, quod vile est, imputat?

17. *Tertia ne vacuo*: Apud veteres accubitorum usus non erat, sed in lectulis discumbentes manducabant. Tres autem lectuli erant, in quibus discumbebant; unde hodie triclinia appellantur.

18. *quid ultra*: haec sunt apud te. *

19. *Trebius*: nomen parasiti.

20. *et ligulas*: Calciarii cum festinant, et ansas caligarum praetereunt nonnullas. Dictae autem ligulae a ligando.

21. *peregerit orbem*: compleverit numerum cathedrarum.

23. *serraca*: plaustra septemtrionis, id est, media nocte. Ursae duae vocantur Elice et Cynosura; Bootes autem Arcturus. Quorum siderum Lucanus [1]) quoque sic meminit: *sub nocte sopora Parrasis obliquos Elice cum verteret axes.*

25. *de conviva Corybanta*: Sic enim vinum malum mentem turbat, quomodo lana tincta mutatur.

27. *rubra*: cruentata.

28. *Inter vos*: id est, convivas et servorum multitudinem. *

29. *Pugna Saguntina*: civitas Hispaniae, in cuius territorio malum vinum nascitur.

31. *bellis socialibus*: id est, bellis civilibus natum vinum bibit, hoc est, vetus et bonum. *

32. *Cardiaco*: cordolenti. *cyathum*: mensuram modicam.

34. *Setinis*: vinum de montibus Albanis ita vetus, ut non possit ex superscriptione antiquitate deleta cognosci, quanti sit temporis.

36. *Thrasea Helvidiusque*: Helvidius Priscus, post da-

---

1) *Lucanus*: II, 236.

mnationem soceri Paeti Thraseae, interdicta sibi Italia, Apolloniam concessit. Sed post interfectum Neronem restitutus a Galba, non aliter quam libero civitatis statu egit. Hic tam industrius fuit, ut cum sub Nerone Achaiam quaestor administraret, civitates quaedam, quas non adierat, inclamarent *αἱ ἡμεῖν πρέπον.* Hic postea Vespasianum ita studio libertatis offendit, ut putaret, id optante avunculo Claudio, pristinum libertatis statum posse revocari: quo nomine reus, ac praeter spem absolutus est. Sed Thrasea, Nerone in senatu de nece matris agente, cum quasi parricidium damnans e Curia se proripuisset, etiam ex Urbe discessisset, accusatus crimine maiestatis, defendi se noluit secandasque venas praebuit, conversusque ad Demetrium Cynicum: *Nonne tibi libare videor Iovi liberatori?* atque singulis amicis oscula offerens, exanimatus est. †

37. *Brutorum et Cassi*: qui Caesarem in senatu occiderunt.

38. *Heliadum crustas*: Beliadum, ut Virgilius [1]): *Implevitque mero pateram, quam Belus et omnes A Belo soliti.*
et inaequales beryllos: phialas ex gemmis factas.

41. *Qui num. gemmas*: si tibi data fuerit fiola, ponitur, qui te et custodiat, ne ex ipsa aut gemmam rapias aut unguibus aurum radas.*

42. *Da veniam*: id est, venia danda est, si custodiaris, cum acceperis phialam, quoniam gemmae pretiosae in poculo sunt, et calices gemmati. *hiaspis*: genus gemmae pretiosae. *

43. *ad pocula transfert*: id est, de anulis tollit gemmas et in fiolas mittit; calices gemmatos facit. *

45. *zelotypo i. p. Iarbae*: figura diasyrtica, ut Virgilius [2]). * id est, tales gemmas mittit in calicibus, quales so-

1) *Virgilius*: Aen. I, 729.

2) *Virgilius*: Aen. IV, 261.

lebat Aeneas in vaginis gladii habere, qui antepositus est Iarbae a Didone. *

46. *Tu Beneventani sutoris*: quidam sutor fuit Benevento, qui grandem nasum habuit.

47. *nasorum quatuor*: id est, in talem calicem bibis, qui quattuor in longitudine nasos habeat. *

48. *Quassatum*: iam fractum. * *Quassatum et rupto*: ut solent sulfure calices fractos sive calvariolus componere.

sulfura: quia hoc solent vitrum solidare, id est, maltare.

49. *Si stomachus*: id est, si ex indigestione invalidus fuerit, frigidissima illi aqua adfertur. *

51. *Non eadem vobis poni*: id est, non solum quod aliud vinum bibitis, sed etiam et aquam diversam. *

53. *aut nigri*: tam niger, ut eum possis timere in obscuro. *

56. *Flos Asiae*: pulcher puer Asianus, caro pretio comparatus.

57. *Tulli census*: regum priorum patrimonium. *

59. *Getulum Gan.*: Maurum pincernam.

60. *tot milib. emtus*: tanto precio comparatus. *

62. *Digna supercilio*: quia pulcher et iuvenis, ideo superbit.

64. *veteri p. clienti*: iam antiquo, olim noto, amico domini sui.

66. *servis est pl. superbis*: aegre hoc semper servi habent, quod, illis stantibus, amici domini sui discumbunt.

68. *Vix fractum*: id est, ita durum, ut dentes possit frangere. *

71. *Dextram cohib.*: noli immittere manum. *

72. *artoptae*: pistoris, vel vasis, in quo panis coquitur.

75. *panisque tui*: qualem mereris manducare.

79. *et multo stillaret*: propterea semper manicasti per pluviam.

81. *squilla*: genus piscis, ut cammari.

83. *ministri*: infertoris.

84. *Sed tibi dimidio*: minores cammari.*

85. *feralis*: mortalis.*

86. *Venafrano*: oleo bono civitatis Africae.

87. *Pallidus*: male coctus.*

88. *alveolis*: vasis, in quibus manducatis.

89. *Canna Micipsarum*: genus navis, quae gandeia dicitur, ut sit gandeia Micipsarum, id est, Afrorum. Gandeiam enim soli Afri, id est, Zamaei, vel ut alii, Byzaceni, ut alii, Barcae invenerunt. Significat oleum Tripolitanum. *acuta*: genus navis.*

90. *cum Boccare*: quidam illo tempore, qui putenti oleo se unguebat in balneis.*

92. *Corsica*: insula in Tyrrheno mari posita.

93. *Tauromenit.*: oppidum Siciliae.

94. *dum gula saevit*: in suburbicario mari.

95. *macello*: piscatoribus.*

96. *nec patimur*: ex assidua piscatione.

97. *sumitur illinc*: quod de peregrinis venit.*

98. *captator*: heredipeta. *Aurelia*: mulier, quae distrahebat pisces.

100. *dum se cont. Auster*: iocatur; id est, non flante austro.

102. *lina*: piscatores.

103. *cognata colubrae*: similis colubrae. *colubrae*: nomen piscis.*

105. *pinguis*: de sordibus, qui in cloacis nutritus est.

108. *Nemo petit*: non quaerimus, quae ante donabant pauperibus amicis.*

109. *A Seneca*: Hic sub Claudio quasi conscius adulteriorum Iuliae Germanici filiae, in Corsicam relegatus, post triennium revocatus est. Qui, etsi magno desiderio Athenas intenderet, ab Agrippina tamen erudiendo Neroni in palatium adductus, saevum immanemque natum et sensit cito et mitigavit, inter familiares solitus dicere, *Non fore saevo illi leoni, quin, gustato semel hominis cruore, ingenita redeat sae-*

vitia. Huic postremo, quod habitus esset inter conscios coniurationis Pisonianae, Nero per tribunum ultimam necessitatem denunciavit. Hic interritus amicorum animos, quibus iam eius casus lacrimas exciverat, ad firmitudinem revocavit, rogitans, *Ubi praecepta sapientiae? ubi tot per annos meditata ratio adversus imminentia? cui praeterea ignara fuerit Neronis saevitia? neque aliud superesse post matrem fratremque interfectos, quam ut educatoris praeceptorisque necem adiiceret.* Deinde sibi venas praesecans crurumque venas abrumpens, et durante tractu lentitudineque mortis, hausto veneno, et postremo calidae aquae stagnum introiens, exanimatus est. † *quae Piso bonus.* Piso Calpurnius, antiqua familia, scenico habitu tragoedias actitavit, in latrunculatorum iussa tam perfectus et callidus, ut ad eum latentem concurreretur. Ob haec insinuatus C. Caesari, repente etiam relegatus est, quod consuetudinem pristinae uxoris abductae sibi ab ipso, deinde remissae, repetiisse existimabatur. Mox sub Claudio restitutus, et post consulatum materna hereditate ditatus, magnificentissimus vixit, meritis sublevare inopes ex utroque ordine solitus, de plebe autem certos quotquot annis ad equestrem censum dignitatemque provehere. †

110. *Largiri namque*: Largitas liberalitasque antiquitus pro magno habebatur.

112. *ut coenes civiliter*: sine iniuria clientum.

113. *pauper amicis*: id est, avarus.

115. *Altilis et flavi*: pasta vel apruna. *Meleagri*: propter Calydonium aprum, quem irata Diana, quod contempta esset ab Oeneo in sacrificiis, agris suis immiserat, quem Meleager filius occidit.

117. *et facient. opt.*: quia tubera tonitruis dicuntur nasci, ut cocleae.

118. *Alledius*: gulosus.

121. *chironomonta vol. Cult.*: manus ducentem et artificio incidentem omnia.

123. *discrimine ref.*: diversitas ministerii. *

124. *gallina secetur*: id est, aliter secat.*

127. *tanquam habeas tria nomina*: Alii sic intelligunt, tanquam fur sis, ut pro tribus literis *tria nomina* posuerit. Sed melius sic: tanquam nobilis sis, ut habeas tria nomina, ut *Gneius Cornelius Scipio*, et si quid simile. *Quando propinat*: dat calicem, in quo ipse bibit.

131. *pertusa d. laena*: paupere panno.

132. *Quadringenta*: sestertia dederit scilicet.

134. *quantus amicus*: unianimis amicus statim fies, si pecuniam habueris.

135. *Da Trebio*: cuiuslibet nomen.

136. *vobis h. pr. honor.*: pecunia honoratur, non homo.*

138. *nullus tibi parvolus aula*: Virgilium ridet. *Si carior vis esse amicus, sine filiis esto.*

141. *Sed tua nunc Mygale*: nomen mulieris, ex ipsa coitione.

143. *Gaudebit nido*: id est, puerorum. *viridem thoraca*: armilausiam prasinam, ut simiae.

146. *ancipites fungi*: mortiferi, venenosi.

147. *Claudius edit*: de Claudio Nerone dicit, quia fungo, uxore sua faciente, mortuus est.

151. *Qualia perpetuus*: ridet de Homero.

152. *sororibus Afris*: de Hesperidis dicit. *Qui tegitur parma*: tiro.

154. *metuensque flagelli*: quale simia manducat.

155. *Discit ab hirsuta*: a sene magistro. *capella*: campidoctore.

156. *parcere credas*: Non propter avaritiam facit hoc, sed ut tibi iracundiam faciat.*

160. *stridere molari*: dentibus pressis.*

161. *conviva*: tanquam amicus.*

162. *nidore*: odore suae cocinae.*

164. *Bis ferat*: ut denuo ad domum ipsius redeat. *puero si contigit aurum*: Antiquitus nobilium pueri bullas aureas habebant, pauperum de loris, signum libertatis.

165. *signum de p. l.*: id est, corrigiam Parthicam, unde solet bulla pendere, signum ingenuitatis.

168. *Ad nos iam ven.*: gula cum sperantis multum manducare. *

171. *Pulsandum vertice raso*: etiam capite raso alapas accipies.

SATIRA VI.

8. *Turbabit nitidos*: Matrona quaedam, passerem plangens, cóeca facta est. *

20. *duae pariter fug. sorores*: Fides et Pudicitia.

22. *fulcri*: lecti iugalis.

26. *Tempestate paras*: tempore nostro uxorem disponis ducere. * *a tonsore magistro*: non severus es, ut maritus, qui a pueris ad magistrum tonsorem transis. Aut certe, desisti pueros sectari, qui iam uxori nonnulla munera misisti, et solito diligentius ornaris, ut uxori placeas, cui anulum dedisti.

27. *Pecteris*: componis te.

28. *Certe sanus eras*: Furiis insanis.

30. *salvis tot restib.*: id est, non te magis praecipitas, aut laqueo suspendis. *

32. *Aemilius pons*: quod ibi lupanaria essent.

34. *quod tecum pusio*: a facto nomen.

37. *Et lateri parcas*: si parum feceris, non irascitur, ut uxor.

38. *lex Iulia*: quae iubet eos hereditatem capere, qui filios habent.

40. *Mullorumque*: quos heredipetae mittunt. *iubis*: cristis.

44. *Quem toties texit p. c. L.*: qui toties, superveniente marito, sub cista celatus est, ut in mimo. *Latini*: Lati-

nus mimus fuit, qui moechus, in cistam devolutus, superveniente aliquo, tegebatur. Qui postea propter adulterium Messalinae punitus est.

47. *Tarpeium limen*: Capitolium. *

50. *Cereris vittas conting.*: quae possint sacerdotes Cereris esse.

51. *non timeat pat.*: quia e terre mantur mulieres dt. *

54. *Extorquebis, ut haec oc.*: id est, si hanc conditionem dederis mulieri, ut uno sit viro contenta et ambos oculos habeat, aut multis et unum; magis parata est unum oculum habere, quam unum virum. *

56. *ut vixit in agro*: respondit, in civitate sic vivat, ut in agro. *

57. *rure paterno*: concedo, et in agro castam fuisse. *

Vivat Fidenis: Alii dicunt, perdo agrum ego paternum, si vivat illa recte. *

61. *Cuneis an hab.*: ut desideras q̅ habeat consortes spectaculorum. *

63. *Batyllo*: pantomimo.

66. *discit*: penem, ut habent in mimo.

68. *sonant fora sola*: iurisdictio quando est.

69. *Megalesia*: ludi Megalesiaci.

70. *subligar Acne*: vestem tragoedi.

72. *Gestibus Autonoes*: quando Autonoen saltat.

73. *Solvitur his magno comoedi fibula*: ut cum comoedis concumbant. Nam omnes pueri vocales fibulas in naturis habent, ne coeant.

75. *ut Quintilianus*: ut scolasticus.

77. *Aut Glaphyrus*: id est, sub te marito alieni filii.

79. *Ornentur postes*: ad honorem nuptiarum. Sic enim solent in nuptiis praeparare.

80. *Ut testudineo conopeo*: hoc est linum tenuissimis maculis nanctum. Quia Latine conopeum culicare dicunt. Sic Horatius [1]: *signa militaria, Sol aspicit conopeum.*

---

1) *Horatius*: Epod. IX, 15.

81. *Nobilis Euryalum*: ut nascatur tibi filius similis gladiatori. Nomina lanistae et gladiatorum.*

83. *moenia Lagi*: Alexandriam dicit, quam Lagus tenuit, pater Cleopatrae et Ptolomaei. Post magni Alexandri occupatus Ptolomaeus cognominatus Lagus, atque deinceps ceteri reges Lagi sunt appellati.

87. *Paridemque reliquit*: Paridem dicit illius temporis pantomimum, quem postea, ob adulteratam uxorem ab eo suam Domitiam, Domitianus occidit. *reliquit*: difficile est deserere consuetudinem.*

89. *Et segmentatis*: segmenta dicit vittam pendentem de vestibus, intextam auro.

91. *Cuius ap. molles*: cuius fama vilis est iactura. *matronas*: id est, pro maritis delicatis.*

94. *Mutandum toties*: diu navigatura de Tyrrheno mari ad Adriacum, de Adriaco ad Aegeum transitura.

95. *Si ratio est et hon.*: id est, si causa sit navigationis digna, propter quam se periculis etiam committere debeant, trepidantes excusant.*

96. *nec tremulis p. i. plantis*: nec se continere possunt. Exclamatio in rebus turpissimis.*

97. *Fortem anim.*: sexum muliebrem abiiciunt, et animos viriles sumunt.*

98. *conscendere navem*: id est, cum marito navigatio aegre toleratur et difficile est.*

100. *Quae moechum sequitur*: id est, quae cum moecho navigat, stomachum validum ac fortem habet; quae cum marito, infirmum et miserum, ut mulier.*

101. *haec int. naut.*: id est, non solum quod non moleste feret navigationem, sed etiam, in quo usus exigerit, nautas in tempestate iuvat.*

102. *duros gaudet tr. rud.*: ad funes manum mittere.*

104. *ludia dici*: ludis serviens gladiatoris uxor.

105. *nam Sergiolus*: Sergiolum nomine ex gladiatore

amavit, qui et Ludor dictus est, quia sit diu demoratus in ludo. Qui, ut requiem gladiaturae haberet, Bellonarium se fecerat, quo mos est in talibus sacris lacertos suos secare.

106. *secto*: vulnerato.* *requiem sperare*: rudem, ut solent in amphitheatro accipere gladiatores.

108. *Attritus galea*: Apparet, eum secutorem fuisse.

110. *Sed gladiator*: crudelitas tantam deformitatem decorabat, atque illi formosum et pulchrum exhibebat. *Hyacinthos*: formosos.*

112. *Ferrum est, quod amant*: id est, non quia deformem Eppia amavit, sed quia severitatem magis amant mulieres, professionem ipsius amavit; quam si non exercuisset Sergiolus, rude accepta, ita contemneretur ab ea, tanquam Veiento.*

113. *Veiento*: senator, maritus contemptus.

114. *quid fecerit Ep. cur.*: *quasi* miraris hoc factum

115. *rivales Divorum*: ridens, quia Imperatores inter deos referuntur.

116. *Quae tulerit*: quae sit passus.* *uxor, Ausa Pal.*: Messalina tantae libidinis fuit, ut se immutaret habitu, et cum una ancilla descenderet de Palatio, atque publice in Circo prostaret per noctem; quoniam antea meretrices propter sacrorum celebrationem ab hora nona totam noctem prostabant: unde etiam Nonariae dictae. Haec eadem ex Claudio Britannicum sustulit, qui per eam, ut superius dixit, a Nerone *veneno* interfectus est. De qua est et illud [1]: *et patruo similes effunderet offas.*

117. *tegetem praeferre*: teges, ut matta, supellex cubilis obsceni; aut forte hoc tegeste, quo tegitur domus mendicorum, ut tegumenta fornicis.

118. *cucullos*: capitis indumenta, quibus se cooperiebat.*

120. *Sed nigrum flavo c. a. galero*: crine supposito, ro-

---

1) *illud*: Sat. II, 33.

tundo muliebri capitis tegmento, in modum galeae facto: quo utebantur meretrices flavo; nigro nam crine matronae utebantur.

121. *veteri centone*: ut velo ex pannis facto.

123. *Prostitit aur. tit.*: quoniam in cellis nomina meretricum superscripta fuerunt. Hoc est, pro quadam Lycisca meretrice ipsa cellam ingressa est.

124. *Britannice*: ipse Britannicus, quem post Messalinae matris necem, conscia Agrippina, Nero in convivio suo necavit.

125. *Excepit*: in meritorio.

127. *Mox lenone*: id est, de meritoriis recedentibus puellis, ipsa tristis efficiebatur, quod per totam noctem lassata quidem ex coitione virorum, tamen adhuc desiderans, non satiata, et ultima recedebat.

129. *ardens*: desiderantem coitum. *

132. *Foeda lup.*: obscoenum odorem lupanaris pertulit ad lectum maritalem.

133. *Hippomanes*: quod de partu equarum rapitur a fronte pulli, statim ut nascitur. quod mater ab eodem lambit. quod datum in poculum ad amatorias res facit.

134. *Faciunt graviora*: graviora faciunt in aliis rebus, quam quod libido persuadet: et minus peccant forte, quam quod libido desiderat.

136. *Optima sed quare*: anthypophora est; tanquam ab alio interrogatus sit: * Quare ergo Censennia, testimonium perhibente marito, bona est? Respondit, Magnam dotem secum attulit; inde pudica audit. Avaritia enim viri vitia uxoris extinguit. *

137. *Bis quingena*: de avaritia scilicet. Non, inquit, amat uxorem, nec pro affectu, sed propter dotem habere talem contentus est.*

140. *Libertas emitur*: mariti, ut peccante uxore contentus sit tacere, propter avaritiam. Ut Horatius [1]: *et non sensurum scio surgat maritus.*

1) *Horatius*: Od. III, 6, 29.

141. *vidua est locuples*: tanquam vidua peccat sine crimine dives mulier, quae avaro nupserit marito.

142. *Cur desiderio*: anthypophora; * Ob quam rem Sertorius uxorem indotatam amat? Respondit, Non pro moribus amatur, sed pro pulchritudine. *

144. *Tres rugae sub.*: id est, si rugas contraxerit in facie, ut anus. *

145. *oculique minores*: prae senectute, id est, fiat anus.

146. *dicet lib. et exi*: statim mittitur foris. *

147. *et saepe emungeris*: mucosa es.

148. *venit altera*: id est, alia iuvenior. *

149. *poscitque mar.*: omnia sibi donari petit. *

150. *et ovem*: id est, greges in Calabria aut vineas in Falerno.

151. *ergastula tota*: Ergastula proprie dicuntur loca, in quibus ad poenam vincti opus faciunt. Hic ergo *ergastula* dixit rusticorum servientium multitudinem.

153. *quo iam mercator Iason*: Illud significat, quod Romae in porticu Traianarum thermarum tempore Saturnaliorum sigillaria sunt. Tunc mercatores casas de linteis faciunt, quibus picturam obstant. Ideo autem dicit *mercator Iason*, quoniam antea in porticu Agrippinarum sigillaria proponebantur; in qua porticu historia Argonautarum depicta est, et casae cum fierent, picturae obstabant. *mercator Iason*: negotiatorem Grecum, qui iam navigare non posset. *

155. *Grandia toll. crystallina*: Sic et Cinna dicit: *Atque imitata nives ludens legitur chrystallus.*

156. *Myrrhina*: de murrha pocula tincta facta.

158. *Barbarus*: Barbarum Ptolomaeum significat et Beronicen sororem eius. *dedit hunc Agrippa sorori*: Iuliam neptem Augusti significat, quae nupta Aemilio Paulo, cum is maiestatis crimine perisset, ab avo relegata est; post revocata, cum semet vitiis addixisset, perpetui exilii damnata est supplicio. Huius Agrippa frater propter morum feritatem in Sicilia ab Augusto relegatus, post cuius mortem iussu

Tiberii interfectus est. Beronice soror Ptolomaci, verum neptis Augusti Iulia, cum qua commisit incestum, et propterea ab Augusto relegatus est.

159. *Observant ubi festa*: in Iudaea regione, ubi est synagoga.

160. *Et vetus indulget senibus*: id est, maioribus porcis parcunt; nam minores manducant.

161. *Nullane*: hoc ex persona dicentis cuiuslibet; id est, nulla feminarum placet? *

163. *Porticibus*: * nobili familia, id est *, cuius avi triumphantes in imaginibus picti et positi in porticibus.

164. *bellum dirimente Sabina*: sit castior Sabinis, quae foedera inter Tatium et Romulum fecerunt. * Id est, quod inter Romanos olim suosque parentes contractum bellum propter ipsarum raptum interventu suo dirimerunt, ostendendo illis filios, hostis nepotes. *

165. *Rara avis*: id est, quemadmodum difficile invenitur niger cygnus, sic et talis uxor inveniri non potest. *

167. *Malo Venusin.*: magis pauperem volo uxorem, quam nobilem et superbam, quae pro dote facta parentum et triumphos imputet. *

169. *et numeras in dote*: imputes.

170. *Siphacem*: maritus superbae et nobilis. *

173. *Nil pueri faciunt*: commicturun. Lucanus [1]: *Crimine quo parvi caedem potuere mereri?*

174. *Amphion clamat*: Amphion Iovis fuit maritus. Horum filios Apollo et Diana, quia se his proferrent, interemerunt sagittis. *

175. *greges nator.*: * Bene dixit greges, * quia plures fuerunt et diversi sexus, id est, septem masculi et septem feminae.

177. *scrofa Niobe*: Lusit. * Fecunda, tanquam * scrofa alba Troianorum, quae visa est Aeneae cum triginta foetibus.

---

1) *Lucanus*: II, 108.

180. *Nulla boni*: id est, huius boni rara est voluptas aut nulla, quotiens vitiato animo semper se praeferat tibi. *

181. *Plus aloes quam mellis*: plus amaritudinis ex superbia, quae se tibi semper profert, quam dulcedinis ex castitate.

182. *Usque adeo*: quis enim ita subiectus est, ut eam, quae semper monumenta laudat, odio non habeat? *

184. *Quaedam parva*: aliquanta vitia mulierum minima sunt quidem, sed molesta maritis. *

186. *Formosam nisi*: aliter se non putat videri posse formosam, nisi Graece loquatur tanquam Athenienses, cum sit Tusca. *

187. *De Sulmonensi*: civitas Tusciae. *

188. *Cum sit turpe*: cum turpe sit illis, quod Latine necdum habuerint. *

190. *Hoc cuncta*: scil. Graece amare se dicunt. *

191. *Concumb. Graece*: quid amplius? etiam in lectulis Graece loquuntur. *

192. *Tune*: signum est impudicae mulieris, quae cum sit valde senex, alienam vult linguam imitari. * Licet turpe sit, tamen puellis hoc concedendum est; tu autem, quae octoginta vel eo amplius annis pulsaris, adhuc Graece vis loqui, tanquam puella? *

195. *Ζωὴ καὶ ψυχή*: quibus sermonibus Graecae mulieres in concubitu solent blandiri.

196. *in turba*: etiam in publico.

197. *digitos habet*: excitat, tanquam si manu palpetur. * *non excitet inguen*: ita potest excitari ad libidinem vir audiens talia verba, tanquam si manu palpetur. *

198. *Subsidant pinnae*: longam aetatem. pinnae aut metaphora, quia vetulae hiacessant.

199. *et Carpophoro*: nomen est scenici effeminati sive histrionis.

200. *tabellis*: dotalibus. *

201. *Non es amat.*: si non potest inter vos esse concordia, ex superfluo vis dulcia gratis perdere. *

203. *Labente officio*: discedentibus pransoribus, qui officii causa conveniunt. Solebant enim antea post nuptias recedentibus dulcia erogare pro apoforetis. *crudis*: saturis et indigestis.

204. *lance beata*: ampla aut plena.

205. *Dacicus Germanicus*: solidi ita signati, qui pro virginitate deposita novae nuptae donantur.

206. *Si tibi simplicitas*: si enim paratus es ad uxorem ducendam, para te, ut subeas servitium, deposita libertate.*

208. *nullam invenies*: nunquam uxor parcit marito.*

209. *Ardeat illa licet*: quantumvis amet mulier, tamen poenis eius delectatur admodum, quem amat.

210. *Et spoliis*: quia spoliat eum poscendo.*

211. *optandusq. marit.*: non potest bonae vitae esse mulier, quae marito suo gratias aget; nec dubium est enim illam pro sua voluntate agere, quicquid velit.*

212. *invita*: hic nam maxime ab uxore contemnitur.*

213. *Hac obstante*: id est, omnia cum voluntate uxoris facturus ès. Excludatur amicus, quem illa voluerit.*

214. *amicus iam senior*: qui ab ineunte aetate amicitiis tuis inhaeserat.

215. *ianua vidit*: intra domum tuam barbam adtulit.*

216. *Testandi c. sit*: cum omnibus liceat testamentum facere, tibi non licebit.*

218. *Non unus tibi rivalis*: illius adulteros facies heredes, illa summittente, quos voluerit.

219. *Pone crucem*: cum voluerit servum occidere, causam non quaerit.*

221. *Nulla unquam*: id est, si interrogaveris eam, ob quam causam servum occidis, aut quo deferente?* hoc tibi uxor respondebit, De nece ingenui nulla est dubitatio. an de servi morte causa quaerenda est?

223. *Hoc volo*: illa dicit tibi, Hoc volo, sic iubeo. Nihil peccavit. Sic mihi placet; pro culpa mortis voluntas mea habenda est.*

224. *haec regna rel.*: repudiat virum.*

225. *et flamea*: genus amiculi, quo se cooperiunt mulieres die nuptiarum. Est enim sanguineum propter ruborem custodiendum. *conterit* autem, exterit saepe nubendo.

226. *repetit vestig.*: a secundo marito iterum priorem repetit.*

227. *fores*: introitus.*

228. *in lim. ramos*: quibus per nuptias domus ornantur.*

230. *res digna sep.*: ut hoc sepulchro ei inscribatur, quod in quinquennio octo maritos habuit, et omnes reliquit.*

231. *Desperanda*: vivente socru tua, nunquam cum uxore pacem es habiturus.*

232. *Illa docet spoliis*: socrus monet, ut te expoliet.*

Illa docet; socrus filiam suam lenat et docet eam moechis suis caute rescribere.

236. *Archigenem*: medicum magnum illius temporis. Simulat aegritudinem socrus, ut habeat facultatem ad se filia veniendi caussa adulterii. *pallia iactat*: a calore se discooperit.*

237. *secretus adulter*: pro medico intrat adulter.

238. *silet et praeputia ducit*: metuit et manu sua penem fricat sibi. Hic versiculus in quibusdam codicibus non est.

240. *Atque alios*: malos mores et turpes, quos ipsa habet.*

241. *producere*: meretricem.

242. *litem Moverit*: uxor cum marito litigat.

243. *Accusat*: ipsa ultro accusat, si non accusatur, hoc agens scilicet, dum a foro non discedit.* *Manilia*: nomen mulieris.*

244. *formantque libellos*: ipsae sibi dictant libellos et componunt, non advocati.*

245. *Celso*: oratori illius temporis, qui septem libros Institutionum scriptos reliquit.

247. *vulnera pali*: de palo pugnantium habitu gladiatorum.

248. *Quem cavat adsid. rud.*: obtundendo illum ferulis, in meditatione pugnandi.

249. *Atque omnes implet numeros*: hoc est, universa efficit dictata, ut tantum currat in exercitio, quantum gladiator.

250. *Florali mat. tuba*: qua committuntur ludi Florales; in quibus meretrices nudatis corporibus per varias artes ludendi discurrunt, et armis certant gladiatoriis atque pugnant. Hi ludi a Flora meretrice instituti sunt in honorem Florae deae, quae floribus praeest. Ludi sunt impudici.

251. *veraeque*; nam vere vult esse gladiatrix, quae meretrix. *

252. *Quem praestare potest*: id est, si nudo vultu pudorem non capit, cooperta quando erubescat?

253. *Quae fug. a sexu*: quae deserit sexum muliebrem. *

254. *nam quant. nostra vol.*: una uncia est libidinis in masculis, et undecim in feminis.

255. *auctio fiat*: fit nam et privatim auctio.

256. *Balteus et tunicae*! retiarii scilicet si personam aut officium susceperit.

257. *diversa moveb.*: retia, manicae et gladiatorum strumenta. *

258. *tu fel. ocreas*: * illius scilicet, quae studiosa pugnandi est. * Si in auctione uxoris veneant arma gladiatoria, *ποταπὴ ἀσχημοσύνη!* Ocreas dicit, quas retiarii aut secutores habent.

259. *cyclade*: genus vestimenti. *

260. *panniculus bombycinus*: sericus, id est, etiam sericis vestibus gravatur.

261. *quo fremitu*: cum quo sonitu ea, quae illi ostenduntur, implet. * *monstratos*: a campidoctore.

263. *Poplitibus sedeat*: super poplites suos sedit quod dicitur sedere et surgere. *fascea libro*: volumen in specie libri, id est, longa fascea.

264. *scaphium cum*: et cum posuerit arma post meditationem et ceperit vas, ut bibat, ride.

266. *quae Ludia*: quando hoc habitu visa sit uxor gladiatoris.

267. *Asyli*: Asylus, nomen gladiatoris. *

268. *Semper hab.*: in eodem lectulo, in quo cum uxore dormitur, assiduae sunt lites. *

270. *tunc orba*: peior et ferocior est tigride ea, quae filios cum perdiderit, plus insanit. *

271. *occulti consc. f.*: quando sibi est criminis conscia, tunc blanditur aut fingit fletus, dicens, se a marito odiri et aliam eum amare; tunc et filios persequitur. *

274. *In statione sua*: metaphora a militibus in statione, quoniam milites semper ad ambulandum parati sunt, quacunque illis hora iubeatur.

275. *Quo iubeat man.*: id est, ita habent paratas lacrimas mulieres, ut, quemadmodum iubeant, sic currant, rare ac multum. *

276. *Tu tibi tunc uruca*: Uruca mimologi stupidi nomen finxit, quia ferme, quasi frequenter fallit, cum magis et personam mariti, vel, ut alii dicunt, genus est animalis foedi, spinosi, ut ericius. Uruca autem est proprie illud, quod in faba nascitur, ut gurgulio.

278. *zelotype*: exclamatio; quasi pudice, ita zelotype. *

279. *in servi*: liberti, qui ad hanc venerit libertatem. *

280. *Quintiliane*: Quintilianus orator egregius * illo tempore. Ergo quasi ad illum loquitur, * Dic orator colorem, ad defensionem huius caussae.

281. *Haeremus. Dic ipsa*: tanquam orator responderit, mulier deinde suum crimen defendit.

282. *Ut faceres*: ita inter nos placati, ut quisque pro voluntate sua, quid velit, faciat. *

284. *homo sum*: nata sum, ut peccem.

285. *iram atque animos*: quanto ingentius crimen est, quod admittitur, tanto deprehensae maiorem induunt ad defendendum audaciam.

287. *humil. fortuna*: paupertas antiqua castas cogebat esse mulieres; nunc divitiae et luxuriae impudicas faciunt. *

289. *Tecta labor*: nam labor custos est castitatis.

291. *Hannibal:* assidua bella Hannibalis. * *Collina turre*: Collino monte, ut porta.

293. *victumque ut orbem*: orbêm, quem nos subegimus, lascivitas, quae nos invasit, defendit.

295. *Paupertas Rom.*: omnia crimina abundaverunt, avaritia crescente et paupertate abiecta. *

296. *Et Sybaris colles*: Sibarim, civitatem in Italia, Philoctetae comites condiderunt; quae urbs postea in tantum prolapsa est in omne probrum continua felicitate, ut nomen ad significationem impudicitiae significare videatur. Similiter et Rhodos et Miletos * luxuria defluunt * in Graecia civitates, * ut in Italia vituperentur. * *Petulans* autem dicit, quia adversum Romanos bellum saepe moverunt et se Pyrrho sociarunt. *coronatum*: in conviviis. *madidum*: fluxum.

298. *obscena pecunia*: quia ore obsceno sunt. Horatius [1]) de huiusmodi * feminis: * *superbo provoces ab inguine; Ore adlaborandum est tibi.*

299. *fregerunt saec.*: turpis luxuria saecula dissipat. *

300. *Divitiae molles*: divitiae debilitaverunt. *ebria curat*: id est, ebrietas nihil honestum considerat. *

301. *discrimina*: distantia capitis et virilium, ne sit ebrietas. *

303. *Cum perfusa*: cum extra mensuram ad ebrietatem bibitur. *

304. *Cum bibitur concha*: non calicibus.

305. *et geminis*: sic enim ebriis hominibus omnia videntur. *

306. *qua sorbeat aera sanna*: revocato naribus spiritu, insultet ebria ac per hoc ronchos ducat.

308. *Maura Pudicit.*: quomodo facit Maura adulterium. Maura nomen mulieris, deridentis Pudicitiam.

309. *hic ponunt lecticas*: apud Pudicitiam concumbunt et urinam faciunt.

---

1) *Horatius*: Epod. VIII, 19.

310. *longis siphonibus*: iactationibus lotii.

311. *luna teste*: nocte, per lunam.*

312. *tu calcas*: * inde ad suas domus revertuntur; * tu, cum mane processeris, lotium calcas uxoris tuae.

313. *magnos vis. amic.*: eos qui ad templum veniunt.*

314. *Nota Bonae secreta*: templum, ubi intravit Clodius pro psaltria, et cum uxore pontificis concubuit. ibi nam saltat matrona cum tibia.

316. *Priapi*: id est, non Liberi patris Bacchae, sed Priapi.

320. *Saufeia*: sacerdotis nomen.

321. *praemia coxae*: ad certamen facit crisare. Alias *pernae*, ut pro praemio perna esset.

322. *Ipsa Medullinae*: Duae Medullinae eodem fuerunt tempore; ex quibus una Val. Claudio nupta fuit, altera Neroni. Prior nota omnibus probris, posterior famae honestioris. *Ipsa Medullinae*: nomen est. aut cersaufeia.* *fluctum*: id est, habet potiorem in obscenis motibus motum, sive sinum. *crissantis*: Crissare mulierum, cevere virorum est. Hinc ceventes molles et obsceni appellantur.

323. *Palmam inter*: virtutis obscenae palmae aequat. in nobilitate dominas sive ancillas natales doctrina cedentes.*

326. *et Nestoriis*: tanta lascivitas efficitur et dissolutio, ut etiam senes moveri possint.*

327. *Tunc prurigo*: libidine impatiens. Nil ibi per ludum, nil ibi per iocos fiunt, sed vere.*

328. *clamor ab antro*: clamaverunt simul omnes.*

329. *Iam dorm. adult.*: exspectans si adulter dormitat, quemadmodum cumq. ad stuprum vocatur.*

330. *cucullo*: accepta cuculla venire.*

331. *Si nihil est*: si non invenitur adulter, cum servis concumbunt.*

332. *conductus aquar.*: id est, si non fuerit servus, aquarius vocatur.*

334. *summittit asello*: si homines defuerint, animalibus se opponunt.*

335. *et publica saltem*: quia habebant et privati sua sacra antea.

337. *quae psaltria*: de psaltria, id est, de Clodio dicit, qui templum Bonae Deae ingressus habitu psaltriae, adulterium admisit.

338. *duo Caesaris Anticat.*: Caesar bello civili, cognita Catonis morte, cuius virtutem dialogo illo, qui inscribitur *Cato*, Cicero etiam laudavit, libros duos famosissimos in vitam Catonis edidit, quos *Anticatones* inscripsit.

339. *testiculi sibi conscius*: ad templum, ubi non est fas intrare nec murem masculum.

341. *alterius sexus*: masculini; * id est, nec picturam masculini sexus ibi licet ipse. *

342. *Et quis tunc*: illo tempore nemo contendebat. Diis vas sacrificio aptum.*

343. *Simpuvium*: vas sacrificiis aptum, in quo pontifices lavare solebant. *simpuvium* autem, quia omnes sacerdotes simul bibebant, inde simpuviatrix illa dicitur, quae porrigit poculum ipsum.

345. *ad quas non Clodius aras*: pro *Clodius.* licet nam per communionem, ut *Clodius* et *Claudius*, ut *cotes* et *cautes*, ut *auriga* et *origa.*

347. *Pone seram*: ianuae, id est, include uxorem.

348. *Custodes*: hoc est, ut sibi conscios custodes faciant, ne ab ipsis deferantur, hoc agunt, ut et ipsos turpitudine libidinis suae adstringant et conscios faciant. * *et ab illis in. uxor*: *Qui nunc lascivae furta puellae, Hac mercede silent: crimen commune tacetur.*

349. *libido*: una libido est et divitibus mulieribus et pauperibus. *

350. *pedibus quae conterit*: quae pedibus suis ambulat.

351. *Quam quae longe cer. Syr.*: *δίφρον* significat. *Syrorum*: servorum. Verbo usus est comico. Nam antiquitus servis nomina ex gentibus suis ponebantur, ut apud Terentium frequenter legimus. *vehitur*: id est, in le-

ctica, ut Cicero [1]): *Nam, ut mos est, lectica ad forum ferebant.*

352. *Ogulnia*: nomen mulieris, quae conducebat sibi ornatum et sic ibat ad spectaculum. *

353. *Conducit comites*: ancillas, quae ipsam sequuntur.*

354. *Nutricem et flavam*: puellam minorem, per quam adulteris suis mandet. *

356. *novissima donat*: conferunt res parentum illis, quos amant. *

357. *res angusta*: pauperes sunt. * *sed nulla pudorem*: etsi pauperes sunt, non erubescunt, sed amant. *

358. *nec se metitur*: non se agnoscit et continet. *

360. *Prospiciunt aliq. viri*: *Nam viri considerant, sed* et suam paupertatem dispositione utili gubernant. *frigusque famemque*: vitam et vestem.

362. *foemina censum*: Nam mulieres patrimonium minuere non considerant, sed ita secum habent, tanquam si renascatur pecunia in eodem loco, unde tollunt, aut cumulum plenum semper inveniant. *

365. *Nonnunquam repetunt*: Hic versus in quibusdam non est.

366. *Sunt quas eunuchi imb.*: inutiles ad concubitum. *et si quando ad proelia ventum est, Ut quondam stipulis magnus nam viribus ignis Incassum furit* [2]). Horatius [3]): *non proelia virginum Sectis in iuvenes unguibus acrium.*

368. *Et quod abortivo*: poculo faciente abortum. *non est opus*: id est, poculum faciens abortum non est necessarium, quando eunuchis concumbitur. *

370. *iam pectine nigro*: tunc faciunt eunuchos, quando iam pubuerint, * et penem maiorem ferant, ut licet levis sit, tamen idoneus ad concubitum. *

---

1) *Cicero*: Act. II. in Verr. lib. V, 11.

2) *furit*: Virg. Georg. IV, 98.

3) *Horatius*: Od. I, 6, 17.

373. *tonsoris damno*: * ad illos retulit,* qui non habent barbam * et in concubitu viri sunt.* *Heliodorus*: medicus * illius temporis. *

375. *custodem vitis et horti*: Priapum in amplitudine penis sui provocat. *

378. *Bromium committ. noli*: puerum ephebum et comatum non committes eunucho.

379. *nullius fibula durat*: fibulam dicit circellos, quos tragoedi sive comoedi in penem habent, ut coitum non faciant, ne vocem perdant.

380. *organa*: organa dicit citharas eorum, quos amant.

381. *In manib.*: fulgent gemmae, quibus ornant citharas suas citharoedi, id est, sardi et onyches, nomina gemmarum. *

382. *crispo*: eburno, qui crispet et agitet cordas; aut scutulato et pulchro.

383. *Quo tener Hedymeles*: hic citharoedus fuit; *tener* autem ad aetatem retulit.

385. *Quaedam de num.*: id est, nobilis. In aliis [1]) enim Lamias nobiles dixit. *

386. *ac nominis Appi*: Appias significat.

387. *An Capitolinam*: Olympiam coronam; id est, sacrificabat nobilis matrona, utrum citharoedus Pollio, eius amatus, in agone Capitolino coronam accipere posset. *quercum* dicit, quia inde solebant coronari.

389. *Aegrotante viro*: quid amplius erat factura, si de salute viri sui consuleret aegrotantis, sive de filii.*

391. *dictataque verba*: a sacerdote, sive aruspice.

392. *pertulit*: ad deos scilicet, secundum consuetudinem. *palluit*: de eo sollicita, vel de responso, exta intuendo, an ille coronam posset consequi.

393. *Dic mihi*: apostrophe ad deos.

---

1) *in aliis*: Sat. IV, 154.

394. *Resp. his*: his de scilicet rebus responsa datis. *magna ot. coeli*: otiosi estis in coelo et nihil agitis, si talibus rebus respondetis.*

397. *varicosus fiet aruspex*: Multum stando, dum deos aut exta consulit, * varicosus efficitur.* Aut certe tantum impudentiae sumit inspiciendis extis, ut varicoso aruspice doctior videatur. Potest et nomen esse aruspicis cuiuspiam.

398. *Sed cant. pot.*: sed potius est illam cantando delinquere, quam nimium sapere et vagari per civitatem.*

399. *Audax et coetus*: imitari eas res viriles et colloquiis interesse.*

400. *Cumque paludatis*: euntibus ad militiam, chlamidatis scilicet. Sallustius [1]): *Togam paludamento mutavit.*

401. *recta facie*: non erubescet.* *siccisque mamillis*: adhuc extantibus, vel sine sudore.

402. *Haec ead. nov.*: talis mulier, quae se virorum conversationibus inserit.*

403. *quid Seres, quid Thraces*: Galliarum gentes, aut Scythae.

404. *Et pueri*: quid noverca cum privigno suo agat. *quis deripiatur*: quis ad poenam raptus est.

405. *Dicet, quis*: nomina singulorum.*

407. *Parthoque cometem*: Huius stellae ortus magnum regibus portendit exitium. Unde et Lucanus [2]): *et magnum terris adstare cometem.* Latine autem haec stella *cincinnata* dicitur.

409. *Excipit ad p.*: si nova non audierit, quae loquatur, ipsa confingit.* *Niphatem*: nomen fluvii.

411. *Diluvio*: inundasse Armeniae fluvium. *subsidere terras*: terrae motum fieri.

412. *Quocunq. in tr.*: per omnes plateas, quibuscunque occurrerit, narrat.*

---

1) *Sallustius*: Fragm. p. 190, 3.

2) *Lucanus*: I, 529.

414. *Vicinos humiles*: pauperes vicinos rogata loris caedit, caeterum irata fustibus, si canes latraverint in vicinia et experrecta fuerit.

417. *Adferte atque*: id est, si ex latratu canum experrecta fuerit, irata iubet et canem et dominum rapi. ita fustes adferri, quibus crudelitatem suam in utrumque exercet. *

418. *gravis occursu*: * in occursu et in * visione terribilis. Ut Virgilius [1]): *nec visu facilis.*

419. *castra moveri*: instrumenta balnearia.

421. *Cum lass. gravi*: halteras dicit, quibus utuntur athletae, cum exercent; quasi plumbeis ponderibus exerceatur.

423. *exclamare coegit*: non cogit exclamare, quod fecerit, illa non exclamat, sed patienter tolerat.

426. *Oenophorum*: exspectantes dicit, cum venerit e balneis, oenophorum prendit, quod urnam capit, et sic bibit. *

427. *Admotum p.*: ad pedes accipit, id est, ante pedes. *

428. *Ducitur*: bibit, ut digerat.

429. *et loto terram*: cum ceperit ebria reiicere.

430. *Marmoribus*: in triclinio marmoreo. *aurata Fal.*: id est, flumina vini currunt, illa vomente. *

432. *Deciderit serpens*: ita post vomitum bibit, tanquam serpens, quando in dolium vini ceciderit, bibendo vomit et vomendo denuo bibit.

434. *Illa tamen gravior*: Statiliam Messalinam insectatur, quae post quatuor matrimonia, diverso exitu soluta, postremo Neroni nupsit. Post quem interemptum et opibus et forma et ingenio plurimum viguit. Consectata est usum eloquentiae usque ad studium declamandi. Illo tempore duae Messalinae fuerunt, haec et Valeria, de qua Claudius Britannicum filium sustulit.

435. *Laudat Virg.*: dicit misera, quae perit. *

436. *Committit vat.*: disputat de altioribus. *

---

1) *Virgilius*: Aen. III, 621.

437. *in trutina* : in iudicio. *

438. *Cedunt gram.* : et grammatici et oratores cesserunt.*

440. *Altera nec m.* : tantum sola loquitur et clamat. *

443. *Una lab. pot. s. lunae* : sonitu, fieri ut adsolet, quando luna deficit.

444. *Imponit fin. sap.* : * etiam et honestis rebus imponit finem sapiens; adde, quod et turpibus. Alii dicunt*, etiam philosophiam tractat.

445. *Nam quae d. n.* : nam doctae mulieres eloquentes quoque iudicari volunt. *

446. *Crure tenus* : id est, accipere debet virilem habitum et cingi, ut vir.

447. *Caedere Sil. p.* : * quia * Silvano mulieres non licet sacrificare.

450. *Torqueat enthym.* : syllogismum non sciat uxor tua.* *nec histor. sc.* : non multos auctores legat, sed quaedam ex libris legere tantum sciat. *

452. *Palaemonis artem* : grammatici, magistri Quintiliani oratoris.

453. *Servata se. lege* : analogia, * id est, sine vitio loqui.*

454. *tenet antiquaria* : quae antiquitatem tenet et, ut antiquarius, cuius sint versus, dicit.

455. *Nec curanda* : quae viri negligunt. * *opicae castigat amicae* : imperitae, male pronuntiantis.

456. *Verba. soloec.* : id est, antequam vitiose maritus suus loqui non potest; nam statim eum reprehendit, quod magnae est verecundiae. *

457. *Nil non permittit* : id est, omnia. Nam duo negativi unum confirmativum faciunt. *turpe putat nil* : id est, omnia facit, nil turpe esse putat. *

458. *Cum virides gemmas* : monilia sibi circa collum miserit. *virides* : prasinae.

459. *magnos commisit elenchos* : uniones, margaritas oblongas. Magnarum gemmarum elenchos, quos et titulatos appellant.

461. *Intolerabilius*: nil tam molestum est, quam uxor ditior quam maritus. *

462. *Pane tumet facies*: medicamen ad tendendam faciem, aut cutem magis. *et pinguia Poppeana*: Poppea, uxor Neronis, adeo diligens in excolenda forma fuit, ut eam quinquaginta asinae sequerentur missam in exilium, quarum lacte candorem corporis provocabat. earum natura fucata est. Decessit calce a Nerone percussa. Medicaminis ipsius autem nomen Iuvenalis *Poppeana* dixit, quasi ab illa inventum sit.

464. *Ad moechum*: adulteris suis semper ornatae volunt videri, ut placeant. *

465. *foliata*: unguenta foliis plena, vel aliis aromatibus.

466. *quicquid gr. huc m. Indi*: odorum. *huc mittitis*: quicquid huc odorum mittitis, propter ipsos comparatur. *

467. *Tandem*: remotis medicaminibus, ad suam formam redit. * *prima rep.*: quibus tegit faciem suam. *

468. *illo lacte*: asinino lacte faciem linit, ut cutem tendat et candorem eliciat.

469. *seducit*: si in exilium mittatur, ducit. *

470. *Exul Hyp.*: etsi ad exilium mittatur ad plagam septemtrionalem. *

472. *coctaeque sil. offas*: candidi panis.

473. *Accipit et*: id est, facies non debet illa dici, sed vulnus, ad cuius curationem impendia tanta ex pani et aliis rebus cataplasmata facit. *

474. *Est pretium curae*: operae pretium est * nosse, quid agant tota die. *

476. *Aversus iacuit*: libidini ipsius satis non fecit. *perit libraria*: lanipendia.

477. *Cosmetae t.*: eos dicit, qui ornamentis praesunt, non tamen et ornatrices. Ponunt tamen et tunicas, ut vapulent. *Liburnus*: nuncius, aut certe lecticarius, aut gerulus lecticae, quae liburnata est.

478. *alieni pendere somni*: somni mariti poenas praestat familia.

480. *Hic scutica*: lorus latus, corium non confectum. *tortoribus annua*: salaria quaestionariis sive carnificibus.

482. *Aut latum pictae*: auroclavas vestes miratur.

483. *transversa diurni*: ratiocinium diurnum accipit in transversa charta scriptum.

484. *Exi Intonet*: quasi in causa disceptaverit.

486. *Praefectura domus Sic. n. m. a.*: tyrannorum dicit Phalaridis aut Dionysii. Phalaris Agrigentinus, * saevissimus tyrannus, qui sic crudelitates exercebat: * missos in aeneum taurum homines subiecto igne torquebat. De quo Cicero [1]) dicit: *Inclusorum hominum gemitu mugiebat taurus.* *non mitior a.*: saevior scilicet ab aula Faleris. *

488. *Ornari*: id est, pulchrius se disponit ornare. * *in hortis*: ubi solent adulteria committere. *

489. *Isiacae*: apud templum Isidis. *lenae*: conciliatricis, quia in hortis templorum adulteria committuntur.

490. *Disponit crinem*: componit crines dominae ipsa * ancilla, a domina sua * lacerata per iram.

491. *Nuda h Psecas*: Psecazin Graece dicunt, quando minutum sive rarum pluit. Ornatrices igitur componentes rarum ac parvum aquae solent mittere ac velut ψεκάζειν. Ergo nominis etymologiam ab arte sumpsit.

492. *Altior*: si altiorem unum cincinnum fecerit, punitur, ut si crimen admiserit. *

495. *Si tibi displicuit nasus tuus*: si tu foeda es * et nasuta. * *Altera laevum*: altera componit crinem, dum illa caeditur.

497. *Et in consilio materna*: lanipendia matris facta ornatrix, quasi magistra.

498. *Emerita*: quae non ornatrix est, sed iam quasi emerita cessat.

---

1) *Cicero*: Fragm. p. 581.

499. *Huius erit*: ipsa dat consilium, sive disponit ornaturam.*

501. *Aut animae*: tantum ineunt consilium, quasi non de ornatu agatur, sed de pudoris aut vitae discrimine.*

cura decoris: tanta est sollicitudo propter decorem.*

502. *Tot premit*: tantum capillorum in ante componitur.*

503. *a fronte*: ante faciem maior videtur.*

504. *Post min.*: quia non sunt capilli satis.*

505. *breviorque*: si brevissima statura habetur.*

506. *nullis adiuta*: nullis adiuta rebus.*

507. *ad oscula*: moechi scilicet.

509. *Damnorum*: quae in domo fuerunt. *tanquam vicina*: tamquam extranea, *sic est cum marito.*

510. *quod a. c. odit*: *in hoc proxima solo est marito, quod amicos ipsius odit*, quod vicina non facit.

511. *gravis est rationibus*: in lumentis et balnearia pecuniam erogando.

512. *Bellonae matrisque*: sacerdotes sive mystae.

513. *Semivir*: Minori dedecori videtur Gallus, quam barbatus, propter virilia.* *reverenda minori*: quia minorem penem habet.

514. *genitalia*: virilia sua secuit.*

515. *Iampridem*: semiviro Gallorum effeminatorum.*

516. *et Phrygia vestitur bucca tiara*: sacerdotis habitu. Tiara nam galea sacerdotis est, quae per malas veniens, mento subligatur. Tiara est, Phrygium quod dicunt.

517. *Grande son.*: aestus mensis Septembris.*

518. *lustrav. ovis*: si se lustraverit, matrona scilicet.*

519. *Et xerampelinas veteres*: vestes scilicet, quae ad usum matronarum fuerunt, ampelini coloris, qui inter coccinum et muriceum medius est. Xeron vero siccum significat. *donaverit*: id est, Gallo.*

520. *magni discriminis*: quidquid periculi imminet repentini *

522. *descendet*: descendat per glaciem in flumen matrona post usum virilem. *

524. *Superbi*: subaudiendum Tarquinii. Dicit autem Tarquinium campum, hoc est insulam Thyberis. †

525. *Totum regis agrum*: Brutus agrum Tarquinii Superbi totum Marti consecravit; unde hodieque campus Martius appellatur.

526. *Ereptet*: totum campum genuis flexis pertraxit. *

iusserit Io: Io, Inachi fluvii filia, quam Iuppiter stupravit, et deprehensus a Iunone, in vaccam eam transfiguravit, celare volens factum. Quod Iuno sciens, dono eam sibi petiit et accepit. Quam acceptam Argo custodiendam tradidit. Hic Argus centum oculos dicitur habuisse, quem Mercurius, iussus ab Iove, occidit. Hanc igitur Io in tantum persecuta est Iuno, ut per omnem mundum eam minaret. Quae cum venisset errans in partibus Aegypti in Nilum fluvium, lassata coepit orare, prout potuit, requiem malorum. Iuppiter Iunonem dilexit, petit, indulsit pellici, et reversa in suam figuram, recepta est inter deas. Et ipsa est dea Isis. Inde etiam sacra de Aegypto.

527. *Ibit ad*: *Ibit*, futuri temporis, id est, vadet, si iussum ei fuerit. *

528. *A Meroe*: civitas est Aegypti. *spargat*: ut in templo Isidis spargat. *

529. *Isidis au.*: In Martio campo templum Isidis vetustum. *Ovili*: quia ibi Romulus et pastores adsueverant pecora pascere. Aut regiam dicit Romuli, aut Palatium.

530. *se voce*: ut putet ipsam deam per Gallum loqui matrona; usque adeo superstitiosa est.

532. *Ergo hic prec.*: ergo hic Gallus magnam mercedem meretur, qui talia impetrat. *

533. *Qui grege lanigero*: sic enim symmistae, quando Osirim quaerunt.

534. *derisor Anubis*: utrum quod ipse derideat, an quod

aliis se praebeat deridendum. Dictus Anubis, quia caput caninum accepit per mysteria.

536. *observandisq. diebus*: * quibus debeat observare * festis.

537. *violato poena cadurco*: membrum mulieris intelligitur, cum sit membri velamen. Vel, ut alii, est instita, qua lectus intenditur. Unde ait Sulpicia: *Ne me cadurcis destitutam fasciis, Nudam Calaeno concubantem proferat.*

538. *argentea serpens*: quae est in templo Isidis.

539. *Illius lac.*: Isiaci antistitis.

540. *ansere magno*: ut veniam tantae culpae concedat, ansere placatur.*

542. *Cum dedit ille loc.*: cum Gallus sacerdos ac lustrator abscesserit, Iudaea mulier advenit, quae in aurem susurrando, sub obtentu religionis, aliquid petit. Dixit nam superius, Iudaeis hortos datos, quos colentes praestabant pensiones; modo inquit, laborem horti declinantes transferunt se ad deos lucri causa, legem Moysi exponentes. *cophino fenoq.*: * Ideo dixit *foenoque* * supellectile, quod his pulmentaria sua et calidam aquam die sabbati servare consuerunt.

545. *ac s. fi. in. c.*: quid dii cogitent de hominibus vel disponant.

546. *Implet et illa*: accepit et ipsa numos, sed non tantos, quantos Gallus. *

547. *Qualiacumque*: mala sive bona, etiam res vanas, quas pro magno proferunt.

548. *Spondet*: promittit nam eam amari ab adolescente, aut a sene divite sine filiis, qui eam constituat heredem. *

549. *Testamentum*: promittit virgini sponsum iuvenem, aut hereditatem a divite relinqui. *

551. *Pectora p. r.*: inspiciens, ut Virgilius [1]): *Pectoribus inhians spirantia consulit exta.*

---

1) *Virgilius*: Aen. IV, 64.

552. *faciet q. d. ipse*: Hic Egnatium philosophum significat, qui filiam Bareae Sorani, quam, cum ipse ad magicam descendisset, hortatus detulit Neroni. Ob quam rem mori cum patre iussa est a Nerone. Egnatium autem hic poeta ob delationem hanc ipsam saepe lacerat, ut superius[1]) dixit: *Stoicus occidit Baream, delator amicum, Discipulumque senex.*

553. *Chaldaeis*: maior fides adhibetur. magis vota mathematicis.* *quicquid*: id est, quicquid horum aliquid dixerit, ita credunt, tanquam si a Iove Hammone oraculum sumpserit.*

554. *a fronte r. H.*: tanquam si a Iove ipso Ammone sit dictum. Apollo nam indignos homines putat, quibus futura respondeat. Nam magis sic intelligitur, quod Alexander damnavit templum Apollinis in Delphis, ne sint homines futurorum praescii.

556. *caligo futuri*: ignorantia futurorum.*

557. *Praec. t. est hor. q. s. ex.*: deest fuerit. *Horum* autem, id est, magorum, aruspicum, mathematicorum.

560. *sonuit si d. f.*: si iam in catenis fuit, aut in castrorum custodia.

562. *Nemo mathem.*: quasi ob nimiam peritiam scilicet fuerit damnatus.

563. *in Cyclada mitti*: in insula Cycladum relegari. Sensus hic est. Peritissimus astrologorum ille est, qui tale aliquid admisit, cum facinus non exilium semper mereatur.

565. *Consulit hicter.*: requirit de morte hictericae matris cum mathematicis.*

566. *Tanaquil tua*: modo pro qualibet uxore posuit nomen. Haec autem Tanaquil fuit Tarquinii Prisci uxor, soceri Servii Tullii, quae dicitur mathematicam artem optime scisse.

---

1) *superius*: Sat. III, 116.

567. *an sit victurus*: κατὰ κοινοῦ. Consulit, si superstes illi sit adulter suus.

568. *Post ipsam*: de quibus enim rebus melius dii respondent, aut petiti praestant, nisi de turpibus? *

569. *quid sid. tr.*: superstitiose. Virgilius [1]): *Frigida Saturni sese cum stella receptat.* Lucanus [2]): *Veneris salubre sidus.*

572. *Illius occ.*: quasi dicat, tolerabilior illa est * mulier, * quae consulit alium; non ferenda vero ea, quae ipsa mathesin profitetur.

573. *ceu ping. succ. tr. Cer. eph.*: membrana mathematicorum, ut actus diurnos, quae adsidua tractatione colorem suum mutavit, et eplocea facta est, colorem fecit, ut succinum.

575. *Consulitur*: id est, ipsa consulitur magis. *

576. *Non ibit par.*: ut praescia futuri periculi, * non eat cum suo marito ad castra peanti peregrinamve patriam.* Thrasillus multarum artium scientiam professus, postremo se dedit Platonicae sectae ac deinde mathesi: qua praecipue viguit apud Tiberium, cum quo sub honore eiusdem artis familiariter vixit. Quem postea Tiberius in insula Rhodo praecipitare voluit in pelagum, quasi conscium promissae dominationis. Quem dolum cum praesensisset, fugit.

577. *Ad primum lapidem*: si gestari voluerit, horam ex signis eligit convenientem.

579. *Angulus inspecta genesi*: si oculus doleat, horam et collyrium ex efemeride promit. *

581. *Aptior hora*: conveniens hora, ut gustet. * *Petosyris*: alter auctor artis mathematices.

582. *Si mediocris erit*: si pauper erit mulier superstitiosa, in Circo quaerit, quos consulat. Ibi nam antea proponere solebant huius artis professores. *spatium lustra-*

---

1) *Virgilius*: Georg. I, 336.

2) *Lucanus*: I, 661.

bit: quod circulatores hoc consueverint adhibere, ut delectis sibi locis duobus, eos lustrent, id est circueant, deinde per eos sortes, id est taxillos iactitent, quo exinde, quod suae geneseos signum se accommodaverit, inspiciatur, numquid vivet et quando. Et paucis ex verbis ibidem conscriptis sortes educunt suas.

584. *popysma:* oris pressi sonus, ut labiorum in se collisorum strepitus, qua laetitia praedicere mala adsolet, vitare vota.

585. *Phryx augur et inde:* ille Phryx, qui Romae moratur. Sunt enim ob hoc qui ab ipsa Phrygia exhibiti sunt.

587. *qui p. f. c.*: Condi fulgura dicuntur, quotienscumque pontifex dispersos ignes in unum redigit quadam tacita ignorantia prece locum agestione consecratum fit. Lucanus [1]: *et tacito cum murmure condit Datque locis nomen.*

588. *Plebeium in C.*: in Circo in spina. Hoc ideo, quia illic pauperes sortes accipiunt.

591. *An saga vendenti*: negotiatori sagario.

593. *fortuna urgente:* cogente paupertate, non solum partus periculum, sed etiam educationis subeunt laborem.

594. *Sed iac.*: vix est, * inquit, * ut puerperium sustineat dives mulier; nam sterilitatis aut abortus poculum sumit ab obstetrice aut malefica. Puerpera dicitur puella, quae primitus parit.

595. *Tantum artes*: id est, illius scilicet, quia aut poculum aut maleficia dat ei, ut abortum faciat. *

597. *Conducit. G.*: o marite, tibi consulit; gaude, quod abortum uxor tua fecit. Nam si volueris de adulterio conceptos tollere, habebis filios natos ex nigris patribus, id est Aegyptios. *

598. *Porrige quidq.*: qualiscunque potus fuerit, per te ipsum offer bibendum. *

---

1) *Lucanus*: I, 604.

600. *Aethiopis*: id est, ex Aethiope nati.* *decolor*: niger.*

601. *Impleret tab.*: id est, erit tibi heres talis, quem inter die nunquam se tibi ostendit.*

602. *Transeo*: praetermitto, non dico de suppositis.*

603. *Ad spurcos decepta lacus*: illuc nam deferebantur expositi partus atque ibi proiiciebantur. *decepta* autem *vota*, quia subpositus est filius, id est, factus nobilis ex supposito.

604. *Pontifices*: de familia nobili nomen tenuerunt.*

605. *Corpore lat.*: id est, frequenter inde collecti infantes et suppositi matronis ad imperium et alias potestates pervenerunt.*

606. *fovet*: fabens fortunam tutare.*

607. *domibus t. p. altis*: nobilibus.

609. *producit*: tanquam suos tuetur.

610. *hic Thessala vendit*: δεικτικῶς. nescit qui alter, qui cantus magicos nobis, quos matronis superstitiosis vendat.

611. *Philtra*: amatorias res.

612. *Quod desipis*: ἀποστροφὴ ad maritum.

613. *Inde animi caligo*: Tondit lethargus morbus. Caligulam significat Caesarem, quem adeo medicatis potionibus uxor Caesonia in amorem suum deduxit, ut de nimia impatientia furens saepe eam nudam amicis ostenderet.

614. *Quas modo*: quid ante paulum egeris.* *Tamen hoc tolerabile si non*: *Semper aquam portes rimosa ad dolia*: *semper Istud onus subeas ipsis manantibus urnis*, *Quod rabidus nostro Phalarim de rege dedisti Et furere*, etc. qui versus referuntur a Probo.†

616. *tremuli pulli*: Mox scilicet nati equini, cui in fronte pilleum ut pellicula erepta praestat amorem. Ut Virgilius [1]): *Quaeritur et nascentis equi de fronte revulsus, Et matri praereptus amor.*

618. *quae non faciet*: si regina hoc fecit, quanto ma-

1) *Virgilius*: Aen. IV, 515.

gis aliae mulieres. *Ardebant cuncta*: sonante Claudio scilicet ex furore.

619. *Non aliter quam si*: Furor ille, quem Caesonia avunculo Neronis immisit, multis nocuit per unum. Nam in multos saeviebat unius Imperatoris insania, ut si per Iovis insaniam totus mundus agitetur.

620. *Minus ergo noces*: exemplum de Agrippina, quae principem Claudium, maritum suum, veneno necavit, ut filio suo Neroni conferret imperium. Agrippina mater Neronis. Caesonia uxor. Agrippinae maritus Claudius.

621. *Boletus*: qui boletus occidit Caesarem et non compulit ad furorem.* *pressit*: Claudii scilicet.*

622. *descendere iussit In coelum*: ridens, pro ad inferos. Et apotheosin deridet. Deum fecit Imperatorem.

623. *et long. man. lab. sal.*: senem dicit.

624. *Haec pos.*: quam Caligula scilicet bibit, temperatam a Caesonia uxore sua.

625. *mixtos Equit. cum sang. Patr.*: id est, omnes ordines sine distinctione occisos.

626. *Tanti*: id est, ipomanes, tanta damna attulit venefica una.*

627. *Od. natos de pellice*: de priore uxore, aut certe de amica.

628. *iam iam privignum*: exemplo nempe Agrippinae, quae privignum suum Britannicum veneno necavit, ut filio suo Neroni conficeret imperium.

630. *Custodite an.*: videris, si alienos oderunt filios, ferendum est, hoc quid sit quod et suis infestae sunt filiis atque eos venenis perimunt, volentes ipsae hereditati succedere. *et nulli credite mensae*: nec maternae.

631. *Livida m. f. adipata*: dulcia, placenta veneno plena. *Laevida materno f. ad. ven.*: *Laevida*, lubrica, dulci suffusa succo. Sequuntur duo versiculi, *Mordeat ante aliquid, quicquid porrexerit illa, Quae peperit, timidus praegustet pocula pappas*, qui in aliis non sunt.

634. *Fingimus*: anthypophora, Dices forte, quod de proposito egressus, satyram dimisi et ad tragoediam me contuli, fingens dicta. Sed Pontia non negat se fecisse. Igitur quod ait *legem priorum*, id est satyrae propositae.

636. *Grande Sophocl.*: id est, tragoediam scribimus.

638. *Nos utinam vani*: utinam nos hoc mentiremur, et non rea facti confiteretur. Pontia, Publii Petronii filia, quem Nero convictum in crimine coniurationis damnavit, defuncto marito, filios suos veneno necasse convicta, cum largis se epulis onerasset et vino, venis incisis saltans, quo maxime studio oblectabatur, extincta est.

639. *paravi*: poculum venenosum.*

640. *ipsa peregi*: quae agnita videntur, ego feci.*

641. *Tune duos septem*: verba ipsius matris, Possent uno veneno et septem occidi, si quidem fuissent.*

643. *de Colchide saeva et Progne*: de Medea. Progne filium suum occidit, propter sororem a marito stupratam.

647. *Debetur monstr.*: neque enim eas admirari convenit super talibus factis, quae causas prope iustas habuere peccandi. non tamen pecuniae causa haec admiserunt.*

649. *Praecipites*: id est, sexus femininus caelandi causa omnia audet facere, dum magnos amore dolore pollutos, quae neque offerre.* *ut saxa in abru.*: Virgilius: *excisumve obice montis.*

651. *quae computat*: quae propter avaritiam peccat, ut Eriphyle, quam dicunt, donis sollicitatam, maritum coegisse, ut iret ad bellum, et mortuus est.

652. *Spectant*: in theatro parapallium.

653. *si permutatio*: *spectant Alcesten pro suo marito morientem; quibus si detur similis conditio* de vita-mariti aut catuli*, catellum magis eligent.*

655. *Belides*: Danaides, quae pro patre suo maritos occiderunt. *atque Eriphylae*: Eriphyle, uxor Eurypili, filii Telephi. Qui Telephus cum venisset ad auxilium Priamo, plagatus est ab Achille, et cum non posset curari, sortitus

est, ab Achille se solo posse curari. Venit supplex, petit se curari, promisso hoc, ut nunquam iam auxilium ferat Troianis, nec ipse, nec de suis aliquis. Curatus est; recessit. Post mortem huius, filius Eurypilus vir fortis fuit. Hunc saepius ad auxilium petit Priamus. Ille negavit, monitus scilicet a patre suo. Ergo cum non posset aliter Priamus eum sollicitare, fecit vitem ex auro, et misit ad uxorem eius Eriphylem. Haec, accepto munere tanto, marito persuasit. Venit in Troiam auxilium ferens. Hunc occidit Pyrrhus, filius Achillis.

656. *Mane Clytemnaestram*: quae maritum suum occidit Agamemnonem.

657. *bipennem*: hoc interest, quod illa securi occidit.

659. *rubetae*: ranae, cuius viscera venenosa sunt.

660. *Sed tamen et ferro*: aliquotiens gladio, si iam manducaverit maritus, quod veneno obsit.

661. *Pontica ter victi*: Mithridatem dicit, quem Lucullus et Sylla et Pompeius vicerunt. Ideo *ter victi.* Hic tale sibi fecit medicamentum, ut non posset aliquando veneno perire.

SATIRA VII.

DE STERILITATE STUDIORUM.

1. *Et spes*: de sterililate studiorum loquitur. Neronem palpat. Talis autem est sensus. Poeticae artis periisset industria, nisi propter egestatem in studia diversa tendentibus Caesaris subvenisset humanitas. *studiorum*: literarum.

in Caesare: in Nerone. *

2. *tristes h. Camenas*: tacentibus poetis.

4. *Balneolum Gabiis*: ut mediastinus fieret. *furnos*: ad panem coquendum.

6. *Praecones fieri*: emissarii. *Aganippes*: locus in Boeotia Musis sacer. Callimachus tamen dicit fontem esse Permessi fluminis.

7. *migraret in Atria Clio*: ostiarius, et custos atriensis.

8. *Nam si Pieria*: Pieria locus sub radicibus Olympi montis, cui Pierus poeta nomen dedit, qui primus sacrificasse Musis dicitur; unde et Pierides dictae. *quadrans tibi*: denarius; inde quadrantes.

10. *commissa*: credita, celebrata.* *auctio*: venditio publica.*

11. *Stantibus*: popularibus, armatis militibus.

12. *Alcitheon Pacci*: nomina fabularum, aut malorum poetarum, qui has fabulas scripserunt.

13. *quam si dicas sub iudice, Vidi*: quam si calumniam facias, falsa dicens: falsus es testis necessitati.

14. *equites Asiani*: equites Romani ex Graecis facti.

15. *faciant*: falsum testimonium dicant.

16. *Altera quos n.*: id est Gallograeci, quia Galli in Graecia condiderunt. Ipsos ergo dicit, et est sensus: qui nudis pedibus ambulant, ac per hoc abiecti Galatae.

18. *nectit quicunque*: qui carmen vocale efficit per modos, id est poeta.

20. *Hoc agite*: Hortatur poetas temporibus Neronis carmina scribere: *o iuvenes, huc venite.*

21. *Materiamque*: occasionem, qua prosit poetis.*

22. *Si qua aliunde*: si aliunde magis praesidium speras per carmina, quam a principe Nerone, incende libros tuos et trade Vulcano, o Telesine.

23. *membrana tabellae*: Membrana implentur, quae croceam tabellam habebant, id est, paginem mittat. Videtur quod, quae in tabulis scripta sunt, in croceam dicat transferre membrana.*

25. *dona Vener.*: id est, fac focum et combure, o Telesine.* *marito*: Vulcano.*

27. *vigilataque proelia*: utrum, quae tu pugnaris cum animo scripseris, an, ea quae de pugna conscribis.

29. *hederis*: corona. *et imagine macra*: corpore exili, propter vigilias. Quia poetae sic pinguntur, quasi ad summam maciem nimio labore confecti.

30. *Spes nulla ulterior*: nummorum scilicet, nisi hedera et imagines.

32. *Ut pueri*: Omitte, inquit, Martem sectari, dum aetas opitulatur.* *avem*: pavonem.*

33. *cassidis*: militiae.*

34. *Taedia tunc sub.*: cum senueris, nihil haberis.*

35. *Terpsicoren*: ac per hoc et poema suum.*

36. *Accipe tunc art.*: audi fraudes.*

39. *Propter mille annos*: dinumerato tempore fortasse usque ad aetatem suam, poeta dixit mille annos fluxisse ex tempore Homeri. Fuit autem Homerus annis ante Urbem conditam centum LX., post Ilium captum ducentis LX.

40. *Maculonis*: alii, sordibus dixit. alii, pictas.

41. *servire iubetur*: valde tibi indicendum.

42. *In qua sollicitas*: cum fuerint clausae domini calamitate. Tristes effectas et sollicitas propter incursionem hostium.

44. *comitum disp. voces*: novit disponere auditores.

45. *anabathra*: a Graeco tractum, id est, subsellia, super quae altius sedeatur. Gradus superiores scansiles.

46. *tigillo*: tigno, deminutive.

47. *orchestra*: spatium in theatro dicit, qui pantomimo saltanti vacat. Eiusmodi autem et poetae legit, in quo stans recitet, aut tabulata.

49. *et litus sterili*: metaphora ab arantibus. Litus pro agro posuit, agrum pro auditoribus; id est, scribimus, et nihil commodi inde consequimur.

50. *laqueo tenet*: poetici mores, ut vinculum.

51. *insanabile multos Scrib. cac.*: mali mores, mala consuetudo scribendi, quae oblivisci non potest.

53. *cui non sit pub vena*: communis sive vulgaris, qui nihil abiectum, futile et gracile, nihil trivialiter scribat sive male.

56. *Hunc qualem*: Ordo hic est. Poetam bonum facit omni sollicitudine vel tristitia carens animus, ut nihil acerbi patiatur; qualem ego animo sentio, ostendere autem non possum.

58. *cupidus silvarum*: avidus. Ut Horatius [1]): *Bacchum in remotis carmina rupibus Vidi docentem.*

60. *thyrsumque pot. contin.*: insanire pauper non potest, aut moveri ad scribendum; quia familiaribus rebus consulere cogitur. Dicunt nam, nisi insanum, poetam esse non posse.

62. *satur est c. d. Horatius*: id est, nihil defuit Horatio, sed tamen animos ad poetandum habebat. *

64. *et dominis Cyrrhae Nisaeque*: Apollini et Libero.

65. *Pectora vestra*: *vestra*, qui boni estis poetae.* *curas*: poeticae egestates. *

66. *Magnae ment. opus*: perfecta pecunia, unde codices emantur. *

69. *Nam si Virgil.*: Hic est sensus. Quia non ita potuisset scribere Virgilius, si de illi fuissent res familiares. *

72. *Rubrenus Lappa*: tragicus poeta.

73. *et laenam pignerat Atreus*: foenerator, vel quia Atreum scribit, ut sumptus habeat, et res suas pignori dat. Alveolus est tabula calculatoria, lusoria.

74. *Non habet infelix*: animo, non facultatibus; nam dives fuit.

75. *Quintillae*: meretrici.

77. *constat leviori*: ironia est. Leo levius pascitur, quam poeta. Et ex indignatione hoc dicit, * quia leviori sumptu possit constare leo, quam poeta. Plus enim comedet. *

---

1) *Horatius*: Od. II, 19, 1.

79. *Contentus fama*: ideoque facile otium ad scribendum carmen habuit dives Lucanus.

80. *at Serrano tenuique Salino*: nomina sunt poetarum pauperum. Aut *Sarrano*, vas fictile, in quo at Serranus solebat mendicare. *Saleio*, ut mendico catilum fictilem, in quo ea, quae salsa sunt, adponuntur. Si non sit, inquit, pecunia, gloria quid prodest?

82. *amicae Thebaidos*: gratae. Significat poema Statii de bello Thebano.

83. *laetam f. c. St. Urbem*: *laetam*, ideo quid libenter audiebat. Est enim et poema ipsud delectabile; et ipse dicitur bonam vocem habuisse.

86. *sed cum fregit subs.*: post tantum favorem audientium, nisi cantionem inauditam pantomimo vendidisset, non habebat, unde se sustentaret. * Salarium enim ob nimiam paupertatem ab eodem consequebatur. * *subsellia versu*: favore nimirum audientium. *

89. *Semenstri digitos vatum*: id est, in modum lunae plenae, equitum de numero, id est, anulo. Semestris autem luna dicitur, cum mensis medium permensa est spatium. Aut Xymam dicit, hoc est, cui, ut plena sit, parum admodum deest. cum velut anulus in orbem collecta est.

90. *Quod n. dant. proc.*: id est, quod non praestant senatores, pantomimus dabit. *

91. *Et Baream*: nobiles illius temporis. *

92. *Praefectos Pelopea facit*: Neronem significat, qui scenicis ob turpem libidinem haec petentibus praestabat. Propter hunc versum missus est in exilium a Claudio Nerone.

94. *Quis tibi Mecenas*: isti fautores poetarum fuerunt. *

96. *Tunc par ingen. prec.*: tunc bonus poeta bene remunerabatur. *

97. *toto nesc. Decemb.*: quo mense scilicet solet maxime lucubrari.

98. *Vester porro*: ironia. * Transit ad historicos. *

99. *atq. olei plus*: in scribenda historia. *

101. *damnosa papyro*: charta, in qua scribitis.*

102. *rerum numerus*: ordo historiae.

103. *Quae tamen inde seges*: metaforicos, id est, Quid inde lucri habetis, qui scribitis historias.*

104. *acta legenti*: * quantum datur *exceptori.

105. *Sed genus ignavum*: historicorum fingamus genus ignavum, quia in uno loco sedere desiderat.*

106. *Dic igitur*: videamus, quid consequuntur advocati.*

107. *comites in fasce libelli*: breves significat.

108. *Ipsi magna sonant*: deest scilicet, quod divites se esse dicant, praesentibus creditoribus suis.*

110. *Qui venit ad dubium*: cautionem habens multorum temporum. Creditorem argentarium significat, qui instantius debitum petit, si debitor ei coeperit esse suspectus. *nomen*: debitum; hoc est, cum dubium est nomen in legendo. Ex quo significat olim eum esse devictorem.

111. *Tunc immensa*: garrulitatem et superbiam advocatorum ait.* *folles*: buccas dicit.

112. *Conspuiturque sinus*: propter fascinum verborum ter sibi in sinu spuunt, et videntur fascinum arcere, ut Persius [1]) de matertera. Vel incipiunt multa sibi promittentes in sinum spuere, vel a loquendo multum spuunt.

114. *pone Lacernae*: nomen aurigae abiecti; ex colore *russatus*. Lacerna sub Domitiano auriga fuit.

115. *pallidus Aiax*: Aiacem pro recitaturo posuit advocato. Hic vero Aiax auriga non ictilius temporius.

116. *bubulco*: rustico.*

118. *Figant. vir. scal.*: stationum scilicet, ad instar gladiatoriae victoriae. Scalas, armariola advocatorum, vel, ut quidam, caseae et stationes. Cicero [2]) in Corneliana, *Conrepsit*, inquit, *in scalas*. Armaria nam advocatorum apud veteres scalas habebant.

---

1) *Persius*: Sat. II, 31.

2) *Cicero*: Fragm. p. 452.

119. *Siccus petas. et vas Pel.*: vocabulum piscium salsorum.

120. *epimenia*: Graece dixit. Nam Latine menstrua dicuntur dantium.

121. *Tiberi devectum*: non transmarinum, id est, cibarium.

122. *Si quater egisti*: id est, pro quatuor actionibus unum solidum.

123. *pragmaticorum*: iurisperitorum, qui negotiales causas agunt.

124. *Aemilio d. q. p.*: qui hoc pacto quintas acciperet in pretio consiliatorum clientum. *et melius nos*: pauperes scilicet.

126. *ipsa feroci*: tanquam bellator.*

128. *et statua m. p. l.*: cuius oculus introrsus cedit.

130. *magno cum rhinoceronte*: id est, magno gutto, quod sicut rhinoceros ingentis sit nasi.

134. *stlataria purpura*: illecebrosa. Ennius: *Et melior navis, quam quae stlataria portat.* Id est, multisonalis, quae vulgo dicitur batalaria.

142. *togati ante pedes*: *togati* nominativus est pluralis, ut sit sensus: An togati sint tibi ante pedes, qui litigent, qui te consulant.

154. *cambre repetita*: proverbium de Cambra et Anatho omnibus tritum, cum nihil sibi tam fuisse cognitum significare voluerint. tractum a nimis frequenti relatione historiae sive fabulae, ab aliquo tum scriptae.

159. *Scilicet arguitur*: id est, quid magister peccat, si tu cor non habes.

160. *Arcadico*: asino, ac per hoc stulto, hebeti.

162. *an petat Urbem*: id est, deliberativa eius, quam recitat.

163. *an post nimbos et ful.*: cum a tertio ab Urbe lapide castris positis, fulmine territus, eo quod propius accederet.

164. *Circumagat*: retroducat ad Africam.

165. *Quamtumvis stipulare*: proroga, quantum tibi dem.

167. *Vel plures*: omnes scilicet professores. *conclamant*: scientiam dandam. *

168. *Et veras agitant lites*: cum mercedes reposcunt. Alii exponunt, transeundo ad causas, relictis controversiis scholasticis. *raptore relicto Fusa venena*: themata, quae in auditoriis recitantur deliberativarum et controversiarum. Ut, si uxor venenum triverit, maritus recipiat oculos, etc.

171. *dabit ipse rudem*: desinit docere. *

172. *diversum iter*: alia qualibet.

173. *Ad pugnam*: ad militiam. * *qui rhetorica d. a. u.*: esse nam Academiam sectam, quae rhetoricam in se continens militiam.

174. *Summula*: ne annonam perdat. Sic mola medium significat gradilis panis.

176. *Chrysogonus q. doceat*: per diversos vadunt magistros, ubi vilius possint studere, tentantes.

177. *artem scindens*: dividens.

178. *Balnea sexcentis*: balneas et porticus aedificant, ubi gestentur, ne eos pluvia contingat, et mercedem pro filiis suis dare non possunt.

180. *spargatque luto*: ne inquinent pedes animalia de luto.*

181. *Hic potius*: in porticu. *

183. *et algentem rapiat cenatio*: solaria in superioribus hiemalia, marmoribus et columnis ornata.

184. *qui fercula docte*: structor aut cocus.

186. *Hos inter sumptus*: cum illis tantum daretur, oratori exiguum dat. *

188. *Constabit patri*: id est, parvo sumptu constant filii. * *Unde igitur tot Quint.*: anthypophora, Unde tantum possidet Quintilianus, si parum accepit?

189. *Exempla novorum Fatorum*: contingit, ut unus sit fato felix rhetor vel orator.

192. *Adpositam nigrae l. s. a.*: patricius senator est; lunula nam adsuta calceis discernuntur patricii a noviciis.

194. *Et si perfrixit*: infrigidatus fuit.

195. *Sidera te excip.*: interest enim fortunae, quia non, prout meretur quisquam, ab eadem excipitur.*

196. *a matre rubentem*: mox ut natus fuerit.

197. *de rhetore*: ad consulatum perducit.*

198. *Si volet haec*: de consulatu ad oratorem.*

199. *Ventidius quid enim?* Ventidius ex mulione Caesaris dictatoris fuit, ut Tullius in Epistolis et in Philippicis loquitur; opitulante Antonio Augusto usque eo provectus est, ut ei crederetur Parthicum bellum. *quid Tullius*: is captivus in Urbem perductus, postea triumphavit.

200. *potentia fati*: id est, fortuna faciente ad hoc provenerunt.*

201. *Servis reg. d. ca. f. t.*: Servium Tullium et Ventidium significat.

202. *Felix ille tamen*: Quintilianus. *corvo q. rarior albo*: cum hoc contingit rare, ut corvus albus non potest inveniri.*

203. *Poenituit*: oratores.*

204. *Sicut Thrasym.*: rhetoris apud Athenas, qui suspendio periit.

206. *Nil praeter gelidas*: Sec. Carinas veneno periit, cum fugeret paupertatem. *gelidas*: mortiferas; mors enim frigida est.

208. *Spirantesque crocos*: notandum, quia masculino genere dicit crocum, ut Virgilius [1]: *crocumque rubentem*. Sallustius dicit neutro: *In qua crocum gignitur.*

210. *iam grandis Achilles*: id est, Chyronem timebat Achilles.*

212. *citharoedi cauda mag.*: Chironis.

213. *Sed Rufum*: qui Gallus fuit, et valde disertus. *caedit sua*: oratores caedunt discipuli sui.*

214. *Allobroga dixit*: *Allobroga*, Gallia.

---

1) *Virgilius*: Georg. IV, 182.

216. *Quantum grammaticus:* Non igitur, inquit, tantum mercedis consequuntur grammatici, quantum labor eorum exposcit. *

217. *rhetoris aera:* plus oratores accipiunt quam grammatici. *

218. *Discip. custos praemordet Acoenonoetus:* eunuchus paedagogus, aut communi carens sensu; proprium papatis.

219. *Et qui dispensat:* et qui erogat, de eadem sorte tollit sibi.

221. *Institor hibernae tegetis:* negotiator, qui pro qualitate temporis mercem suam distrahit. Sic Terentius 1): *Scisti uti foro.* *niveique cadurci:* cadurcum quidam cucullum dicunt candidum, propter hiemes et nives comparatum; alii tabernaculum aut tentorium dixisse, quibus merces suas protegere consueverunt. *Hibernae* autem *tegetis* est aedificii frigidi. Virgilius 2): *Qualis ob hibernam Lyciam.*

222. *Dum modo:* vigilasti a media nocte. *

223. *nemo faber:* ferrarius.

224. *Qui docet obliquo:* aut lanarius.

225. *olfecisse lucernas:* cum quibus nocte veniunt ad grammaticos, ut lectiones accipiant.

227. *Flaccus et h.:* codex Horatii et Virgilii, in quibus legebant. Quia et Horatius et Virgilius nigri coloris dicuntur fuisse. Ideo diasyrtice dixit detrahendo.

229. *Sed vos:* rarae sine lite magistris redduntur merces. Sed enim vos, o tribuni, duras conditiones magistris imponite, ut et sine vitiis loquantur, et omnes historias et poetas teneant, et ut quacumque sint hora, etiam de rebus exiguis et impossibilibus statim respondeant.

233. *aut Phoebi ad balnea:* privatae balneae, quae Dafnes appellantur.

---

1) *Terentius:* Phorm. I, 2, 29.

2) *Virgilius:* Aen. IV, 143.

234. *Nutricem Anchisae*: Tisiphone. *nomen patriamque*: duras et exquisitas causas.*

235. *Archemori dicat*: id est, exigunt res obscuras et impossibiles. *

237. *Exigite ut mores*: bonos mores ut habeant filii ipsorum, a magistris exposcunt.*

240. *Ne faciant vicibus*: ne se corrumpant.

241. *Observare manus*: ne praeputia ducant.

242. *et cum se verterit annus*: haec exposcunt a magistris, *ut etiam mores eorum corrigant, et ne turpiter vivant aut corrumpant se,* et post haec omnia unum solidum accipient.

243. *victori populus*: ut in theatro solent petere quinque aureos. Nam non licebat amplius dare.

SATIRA VIII.

DE CLARITATE NATALIUM.

In eos, qui maiorum suorum nobilitate confisi, nimis se iactitant, cum ipsi nihil suae virtutis ostendant.

1. *Stemmata*: stemma est generis ordo, ut gradus.

3. *Maiorum*: id est, avorum.*

5. *Nasoque carentem*: vetustate picturae ita effectum; aut quia breviorem nasum habuit. *tabula i. capaci*: imagine perpetua.

7. *multa contingere virga*: multis fascibus, dignitate.

8. *cum Dictatore magistr.*: in qua magister equitum et dictator est pictus. *

9. *Si coram Lepidis*: ante imagines Lepidorum.

10. *alea pernox*: per totam noctem si luditur. Virgilius [1]): *Dura iacet pernox instrato.*

12. *Lucifero*: Scipiones ab ortu quoque surgere. *

13. *Cur Allobrogicis*: Gallicis possessionibus, aut titulis victoriarum, aut aedibus.

14. *Natus in Hercul. Fab. Lare*: magna ara ad Herculem dicitur Romae, iuxta Circum Flaminium. *Fabius*, ex genere Herculis.

15. *et Euganea*: Tarentina, Calabra, aut Veneta.

16. *Catinensi pumice*: Catina, oppidum Siciliae usque ad probra dissolutum, notatur; ut et Bibaculus: *Oste senex, Catinaeque puer, Cuna meretrix.*

17. *traducit avos*: dedecorat parentes suos. *emptorque veneni*: ἀπὸ κοινοῦ. *Quid prodest, qui propter flagitia ad venenum confugit? *

20. *nobilitas sola*: id est, nihil prosunt parentum facta, nisi suae virtuti aut nobilitati se ornaverit. *

21. *moribus esto*: nobilis moribus tuis, ut illi factis. *

22. *Hos ante effigies*: mores tuos antepone virtuti eorum, et praecedant mores boni fasces.

24. *Prima mihi debes*: κατὰ κοινοῦ. Debes animo bonus et iustus esse.

26. *Adgnosco*: id est, si honestus fueris, tunc te principem meae civitatis dicam, non si imagines maiorum tuorum, ut consulatus, ostendas. *

27. *de sanguine rarus*: id est, quod tales vel visum habeat. *

29. *populus quod cl. Osiri Invento*: Tibullus [2]) de Osiri dixit: *Primus aratra manu solerti fecit Osiris, Et cinerem ferro sollicitavit humum, Primus inexpertae commisit semina terrae, Pomaque non notis legit ab arboribus.* Populus Aegypti, invento Osiri, dixit εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν.

---

1) *Virgilius*: Georg. III, 230.

2) *Tibullus*: I, 7, 29.

30. *Invento*: vir bonus ubi invenitur, inpatienter et cum clamore appellatur.*

31. *et praecl. nom. tantum*: non per se.*

32. *Nanum cuiusdam Athlanta vo.*: ut cum indignus sit, maioris alicuius eum nomine nuncupemus; ut si nanum gigantem vocemus, *κατὰ ἀντίφρασιν.*

33. *Aethiopem cygnum*: id est, nigrum hominem, Aegyptium, cycnum voces, ut candidum.

34. *Europen*: ut formosam.

36. *si quid adhuc est*: Ostendit poeta, homines tetterrimos hac re magna nomine habere consuere.*

38. *ne tu sis Creticus aut Cam.*: hoc est, ne sis tantum nominibus nobilis, ac turpiter vivas.

40. *Blande*: nam Blandus Rubellius dicebatur. *Tumes*: superbus es nobilitate generis tumidusque feratur.*

41. *propter quod*: quasi ex virtute tua sis nobilis factus.*

42. *quae sanguine fulget Iuli*: nobilis de genere Troiano.

43. *con. sub ag.*: plebeia mulier. pauper, in castris natus.

44. *Vos humiles*: hoc veluti e persona alicuius nobilis loquitur poeta.*

45. *Quorum nemo*: plebeii aut peregrini.

46. *Cecropides*: nobilis. Cecrops rex fuit Atheniensium.

48. *Facundum inven.*: id est, tu nobilis tantum et inperitus; nam de plebe, id est, de humili familia eloquentes exeunt, qui nobilium inperitorum causas defendunt.*

49. *de plebe togata*: id est, senatoria.

50. *legum aenigmata*: quaestiones obscuras.

51. *Eufraten*: fluvius est in Oriente; id est, nomen militiae dat et curam cohortis sumit. *Batavi*: gens Galliarum. Lucanus [1]): *Batavique truces.*

53. *Nil nisi Cecrop.*: quasi Alcibiades, infamis et nobilis. *truncoque simillimus Hermae*: Hermae effigies aeneae aut marmoreae, sine manibus, quales videmus in Circo. Her-

1) *Lucanus*: 1, 431.

mas Athenienses ante ianuas pro religione positos habuere. In hoc igitur tantum distas ab Hermulis.

56. *animalia muta*: etiam in animalibus virtus quaeritur, non genus.

57. *volucrem*: velocem.*

58. *plurima palma*: id est, qui frequenter vincit.*

61. *in aequore*: aut in Circo, aut in campo, quando bellum est, de quocunque venerit armento.

62. *Coryfe posteritas*: Coryfeorum, id est, equorum, in Achaia prima nobilitas fuit.

63. *Hirpini*: in ivitio Sabinis. Hirpinus mons est, ubi optimi equi nascuntur.

64. *gratia nulla Umbrarum*: non attendit, de quo armento venit. Nihil praestant parentes, qui quasi umbram quandam videntur praebere.

65. *Umbrarum*: maiorum mortuorum.* *dominos p. m. iub.*: distrahuntur.

66. *ephiredia*: ornamenta rhedarum, aut plaustra.

67. *Segnes*: pigri.* *molam versare*: molere in pistrino.

68. *Ergo ut mir.*: ut miremur facta tua, non te.*

69. *quod possim*: unde possim titulos tibi dare.* *incidere*: inscribere.*

70. *omnia debes*: quos imitari debes, id est, parentes tuos.*

72. *Nerone propinquo*: de quo magis debuit erubescere, *quia ad propinquitatem illius pertinet.*

73. *Rarus enim ferme*: Rarus, inquit, est animus non inflatus in nobile.*

74. *censeri l. tuor.*: haberi maiorum.*

75. *futurae*: de te futurae.*

77. *Ne collapsa ruant*: metafora ab aedificio, quod columnae sustentant.*

78. *Stratus humi*: iterum metaforam a vitibus fecit, quae ex arboribus pendent, nec se possunt sustinere sine arboribus, nisi fuerint adnexae.*

81. *Phalaris licet*: qui tyrannus ferebatur tauro aeneo candenti homines includere. *

83. *Summum crede nef.*: ut fugiens tormenta, falsum dicas. *

84. *Et propter vitam*: dum vis vivere, ita agas, ut vita indignus videaris.

85. *Dignus morte*: sic habendus, qui morte dignus est, quasi iam perierit, licet quotidie copiose vivat. *cenet licet ostrea centum*: habeas licet tripodas aeneos, ubi heroes lavabantur, et ostrea a lacu Lucrino. Cosmus luxuriosus fuit, qui solium, in quod descendebat, multis diversorum unguentorum odoribus miscebat.

89. *miser. inopum sociorum*: provincialium.

90. *exucta medullis*: exhausta a rectoribus.

93. *Et Capito et Numitor*: spoliatores sociorum. Cilices nam piratae sunt. Ergo principes piratarum, aut spoliatores latronum. Bene igitur Capitonem et Numitorem nescio quem poeta, repetundarum damnatos a senatu, dixit piratas Cilicum, sive propter depraedationem iniustam, sive ut eos facinorosiores ostenderet, qui piratas olim Cilicas exspoliaverunt.

94. *Cilicum*: accusantibus provincialibus. *

96. *Praeconem Chaer. tuis*: Sensus hic est. Quid tibi prodest, Chaerippe, si damnatur iudex, quem tu damnandum accusasti, cum illius successor plura ablaturus sit tibi? Magis provide tibi praeconem, et auctionem fac rerum tuarum, quae superaverunt, ut in pecuniam totum conferas, ne et ipsos pannos tuos perdas, qui remanserunt. Nam nec accusatio tibi proderit, et insuper naulum perdes.

98. *Non idem gemitus*: olim non sic gemuerunt provinciae a Romanis afflictae spoliataeque iure bellorum, quando sunt devictae, quomodo nunc, cum sunt a iudicibus depraedatae.

101. *conchylia Coa*: metaphora; purpura Graeca, *Coa.*

103. *Phidiacum*: pictorum, fictorum et sculptorum sunt

nomina, qui olim magni artifices fuerunt. Phidias statuarius fuit. *vivebat ebur*: cum ἐκφωνήσει pronunciandum, *ut siquidem vivere videantur. *

104. *rarae sine Mentore*: sine toreumate.* id est, quae a fabro nobili non sunt factae.*

105. *Inde Dolabella atque hinc Anton.*: Antonius trium Antoniorum corruptor ille Salustius, qui orae maritimae qua Romanum esset imperium, contrarius piratis. Hi omnes socios et maxime Graecos, Asiaticos ac Siculos, fortunis omnibus spoliaverunt. C. Antonius a Caesare accusatus.

106. *Sacrilegus Verres*: qui Siciliam depraedatus est.*

109. *Et pater armenti*: taurus aut admissarius.

111. *Si quis in aedicula*: haec sunt preciosa, quae remanserunt. *

113. *Forsitan imbelles Rhodios*: ut ostenderet has civitates gymnasiis, hoc est exercitationi palaestrae, deditas. Putes, inquit, has civitates furtus non esse accusaturas, quod de resina pilos sibi tollant, ut cinaedi. *Chorinto*: quod nocere tibi non poterint. *

116. *Horrida vitanda*: his parce gentibus, ne pro iniuria rebellent, aut accusent repetundarum. *Gallicus axis*: septentrionalis pars. *

117. *messoribus illis*: Afros significat. Et *tenues*, quod nuper eos Marius spoliaverat, de quo superius [1]: *Exul ab octava Marius bibit.*

118. *vacantem*: id est, spectaculis operam dantem. *

119. *praemia culpae*: pecuniarum repetundarum. *

120. *discinxerit*: qui ibi bella finierat. id est, quid tolles his, quos Marius spoliavit. *

121. *Curandum*: cogitandum. *

123. *relinquas*: quibus facillime possit repugnare. *

125. *non est senten.*: non sunt nuda verba; in senten-

---

1) *superius*: Sat. I, 49.

tia nam solet interdum aliquid esse falsi; sed est oraculum verum.

127. *Si tibi sancta cohors*: si nemo servorum tuorum actus tuos vendit. Si e rebus intonsus non est puer, pro quo sententia distrahatur, si uxor tua te administrante nihil rapit, denique si vir es bonus, patiar, ut, falso licet, tamen ex quovis genere nobili tibi fingas originem, vel a Pico, qui Fauno pater fuit.

131. *altaque si te*: ex ipsa antiquitate.*

137. *hebetes l. lict. secures*: retunsae, feriendo capita damnatorum, id est, si crudelis nimium sis.

139. *Nobilitas, claramque fa.*: hoc, quod et Sallustius [1]) dixit: *Maiorum gloria posteris quasi lumen est. Neque bona, neque mala in occulto patitur.*

140. *Omne animi vitium*: pro persona crimen admissum culpatur. Sallustius [2]): *Qui magno imperio praediti.*

142. *Quo mihi te solitum f. s. t.*: κατὰ κοινοῦ.

145. *Tempora Santonico*: id est, birro Gallico. Nam apud Santonas, oppidum Galliae, conficiuntur. *cucullo*: galero fusco et horrido, bardocucullo, quales sunt latrunculorum, aut ex lucerna turpi intincto.

147. *Lateranus*: et ipse luxuriosus quidam.*

148. *Ipse rotam adstringit*: sufflamen vinculum ferreum, quod inter radios mittitur, dum clivum descendere coeperit rheda, ne celeres rotae sequantur et animalia vexent.

150. *honoris*: cum ei fuerit successum in consulatu.*

152. *et occursum*: non gravioris * aetate * amici occursum timebit.

153. *atque maniplos Solvet*: manuas foeni. Vino nam solet fessis animalibus infundi hordeum.

155. *robumque iuvencum*: id est, robustum, rufum. Unde Herculis robus dictus est.*

---

1) *Sallustius*: Bell. Iug. c. 88.

2) *Sallustius*: Catil. c. 51.

157. *Solam Eponam*: quia mulio est, qui consulitur. Epona dea mulionum est.

159. *udus amomo*: unguento olens.*

160. *Currit Idumaeae*: Idume civitas Orientis. Ideo currit Damasippo tabernarius, qui prope portam manet, tabernam volenti intrare.

162. *Et cum venali Cyane*: nomen tabernariae, pro qualibet. Scortum.

163. *Defensor culpae*: qui contra haec defendere voluerit.

164. *Haec iuvenes*: id est, eo tempore fecisti, quo possis mereri veniam, in iuventute.*

166. *prima resec. crim. barba*: in prima aetate desine.*

167. *Lateranus ad illos*: sive Damasippus.

168. *inscriptaque lintea*: hoc est, pictis velis popinae succedit, aut linteis cabsariciis tergit. Vel ubi esculenta publice venduntur.

170. *Amnibus et Rheno*: Armeniam Tigris proluit, Euphrates Parthos, Hister Sarmatas et Ponto influit. Rhenus inter Alamanniam et Gallos Oceano influit. *Praestare*: servare, obsistere gentibus.*

172. *legatum quaere popina*: *παρὰ προσδοκίαν*, pro castris.

173. *cum percussore*: sicario, aut gladiatore.

175. *Inter carnifices*: ubi nobiles inter sceleratos, putas fabros.* *et fabros sandapilarum*: si *sandaliorum*, sutores ac per hoc abiectae sortis homines; si *Sardanapallos*, infamis hominis nomen est; si *sandapilarum*, lectorum, in quibus gladiatores mortui de amphitheatro eiiciuntur.

176. *Et resupinati*: ebrii aut turpia patientis.

177. *Aequa ibi libert.*: popinae, ac per hoc communis est.

179. *talem sortitus*: qualis est Damasippus scilicet.*

181. *At vos Troiugenae*: nobiles propter Aenean. Vos flagitiis libenter ignoscitis.*

182. *Turpia cerdoni*: Graece dixit turpem, vulgarem,

lucri cupidum. Si pauper et popularis adulterium committat, crimen admisisse dicitur; si dives, iocosus appellatur. *cerdoni*: populari, passivo.*

183. *Quid si nunquam*: id est, quidquid dimittati fuerimus, peius superest.*

185. *vocem Dam. locasti*: id est, praeco fuisti in mimo. Siparium velum est, sub quo latent paradoxi, cum in scenam prodeunt; aut hostium mimi, aut quod appellatur comicum.

186. *ageres ut Phasma Cat.*: nomen est mimographi, et Fasma nomen fabulae. *Catulli*: Q. Lutatium Catullum dicit, qui Voranum servum furacissimum habuisse fertur, de quo hic posterius [1]: *scurra Catulli.* De quo etiam illud traditur, cum deprehensus a nummulario esset, cuius de mensa nummos subtractos in calceos sibi inferciverat, quidam iocans in eum, *Belle*, inquit, *si te nummularius in ius vocet, tu ei aes ablatum ex calceo abiiceres.*

187. *Laureolum*: hoc ideo, quia in ipso mimo Laureolo figitur crux. Unde vera cruce dignus Lentulus, qui tanto detestabilior est, quantum ille gestum imitatus est scenicum. Hic Lentulus nobilis fuit, et suscepit servi personam in agendo mimo, et deprehensus in falso crucifixus est.

189. *Ignoscas populo*: qui patitur nobiles agentes mimos spectare.

190. *triscurria patriciorum*: locos tres currus nobilium fabulas agentes, dictum, quia tres simul exeant, quamvis aliquit quaerentes.

191. *Planipedes audit Fabios*: nobiles neaniscologos.

192. *Mamercorum alapas*: turpitudinis crimina.

193. *nullo cogente Nerone*: tyranno scilicet.

194. *Celsi praetoris vendere ludis*: ignobilioris, quam ipsi sunt.

196. *Quid satius*: utique mori, quam mimum agere. Nec

1) *posterius*: Sat. XIII, 111.

debet quis mortem sic horrere, ut in arena se locet, sed ut mimum agat.

198. *Res haut mira*: non est turpe, nobilem mimum agere, cum ipse Imperator citharoedus sit et in scena cantaverit. Non est mirum, si haec mavult sequendo ludium Principem, quam mori, quando ipsum imitatur Neronem.

199. *quid erit nisi ludus*: nisi ut gladiatores sint nobiles.*

200. *nec mirmillonis in armis*: mirmillo armaturae Gallicae nomen, ex pisce inditum, cuius imago in galea fingitur.

201. *aut falce supina*: * per falcem supinam * Thracum armatura intelligenda est, quibus proprium telum sica est.

203. *movet ecce tridentem*: infamis est, sicut gladiator, aut indicatur, aut verba sunt Gracchi, spernentis armaturam secutoris.

207. *Credamus tunicae*: Tunicam de faucibus quidam vestem gladiatoriam dicunt, quam fibula pugnaturis mordet a faucibus. Alii, qua Galli utuntur in sacris, in modum organi utrimque decrescentibus virgulis purpureis. Nam fortuiti sunt veluti indicantibus partem corporis esse amputandam. Hi dubii habebant qui munera edebant, ut extremas partes tunicae ad guttur ornarent, quo famam haberent.

208. *et longo iactetur spira galero*: pileo, quem habent retiarii. Galerus est humero impositus gladiatoris huiusmodi aliquid, quo citius sparsum funem vel iactatam retiam colligat.

212. *Senecam praeferre Neroni*: ignobilem, sed virum bonum.

213. *Cuius supplicio*: hoc ideo, quia parricidis, in culleo clausis, ad poenam simia et serpentes iungi solebant. A Nerone autem mater occisa est et amita et uxor et Antonia Claudii filia, quae illi post harum mortem nubere noluit. Sed apertius dixit, quia et matrem occiderit, et uxorem Octaviam eandemque sororem adoptivam, et Britannicum fratrem, adoptivum filium Claudii, peremit.

216. *Quippe ille diis auctoribus*: Orestes, qui et matrem occidit, sed ut patrem ulcisceretur et defenderet.

218. *aut Spartani Sanguine con.*: Helenae vel Hermionae.

221. *Troica non scripsit*: hoc ideo, quia Nero Troados libros scripsit, unde et maxime insanivit, quia poeta fuit. Virginius autem unus de coniuratis, qui Neronem occiderunt.

222. *Debuit ulcisci*: hoc est, qui Neronem occiderunt. *

225. *Gaudentis*: imitari citharoedi Graeci coronam accipientis. *

226. *Graiaeque apium*: quia apud Isthmios agones victores apio coronantur. Nero autem Isthmiaco certamine inter citharoedos certans, apio, uti mos erat, coronatus est.

227. *Maiorum*: tuorum maiorum habenti laudem vocis tuae, ad quam ipse Nero dicat de se. * *habeant insignia vocis*: voci missaria.

228. *Ante pedes Domiti*: alii Domitium senatorem volunt, qui a Nerone coactus est mimum agere.

229. *Syrma*: vestis tragica est. Has autem personas Nero saltavit. Menalippus est, qui Tydeum occidit.

230. *Et de marmoreo c. s. colosso*: colossum, statuam ultra mensuram. *suspende*: statuae citharam, non trophaeum, ut Nero scilicet.

231. *Quid Catilina*: Exempla omnia collegit, quibus nobiles nihil virtutis fecerunt. *

234. *Ut Braccatorum pueri*: Gallos significat, et deest, teneant. Allobrogae Galli sunt. Ideo autem dicti Allobrogae, quoniam brogae Galli agrum dicunt, alla autem aliud. Dicti igitur, quia ex alio loco fuerant translati.

235. *tunica punire molesta*: vestis ex charta facta, pice inlita, in qua ignibus poenae addicti ardere solent. Aut, si estis id conati, quod hoc pacto debent puniri.

239. *et in omni monte*: quia in montibus condita est Roma. Legitur et *ponte*, propter Mulvium, ubi Catilinae coniurati et Allobroges deprehensi sunt.

241. *in Leucade*: propter Antonium et Cleopatram, quia bello navali sub Leucade, promontorio Epiri, devicti sunt ab Augusto.

242. *Thessaliae campis*: ibi nam ab Augusto victi sunt Brutus et Cassius et Pompeius a Caesare.

243. *Roma p. p. C. libera dixit*: non per adulationem, ut Augustum. Hoc nam differt ab Augusto Cicero, quia alia armatus, alia pacatus defenderit libertatem et civitatem. Ut Lucanus [1]): *Romani maximus auctor Tullius eloquii, cuius sub iure togato* etc.

247. *Nodos. p. h. frang. v. vitem*: a centurione vapulando suo vertice frangi patiebatur Marius vitem, cum militat.

251. *Atque ideo*: Mario, inquit, debellante Cimbros, corvis avibus fuit miraculum ire ad maiorum cadaverum praedam, quia grandi statura sunt Galli. Virgilius [2]): *Scutis protecti corpora longis.*

253. *lauro collega sec.*: secundo, per Marium, familia nova. Nam primo per Ciceronem. Nobilitati, hoc est, ut triumpharet. Vel *secunda lauro* dixit, quia secundo loco triumphavit, post collegam suum.

254. *Plebeiae Deciorum animae*: Decii, pater et filius, somnio moniti, pro incolumitate populi Romani se devoverunt, alter bello Latino, alter bello Gallico. Nam pater cum esset collega L. Menilii Torquati, essentque somnio admoniti, eam partem victricem fore, cuius dux in proelio ceciderit, Decius, calcaribus equo incitato, in medios hostes inruit, ibique pugnans interfectus est. Cuius cum corpus milites liberare contenderent, cum plena sunt reversi victoria. Hoc exemplo patris pro bello Samnitico et Tusco, bello Gallico ab hostibus est filius interemptus. De quibus et Virgilius [3]): *Quin Decios Brutosque.*

255. *pro totis legionib.*: id est, pro salute omnium ad mortem se obtulerunt.*

258. *Pluris enim Decii*: plus meriti habent Decii apud

---

1) *Lucanus*: VII, 62.

2) *Virgilius*: Aen. VIII, 662.

3) *Virgilius*: Aen. VI, 825.

deos, dum hi se pro patria voverunt, quam habet ipsa patria apud deos meriti, quae servata est.*

259. *Ancilla natus*: Ocriculana captiva, Servius Tullius.

260. *regum ult. ille bo.*: nam fuerunt reges postea superbi. Sextus a Romulo; nam septimus Tarquinius fuit Superbus.

262. *iuvenes ipsius Consulis*: ipsius Bruti filii, qui a patre securi percussi sunt, portas aperiebant, ut Tarquinius Superbus intraret.

264. *cum Coc.*: Horatius Cocles cum fessos milites suos ab Etruscis videret, Pontem Sublicium subduci iussit, ne protinus hostes ad urbem irent, et ipse solus interim exercitum Porsennae sustinuit, dehinc armatus Tiberim transnatavit ad suos.

265. *virgo nat.*: Cloelia virgo inter obsides data Porsennae a Romanis, simulans ritu patrio velle se in ripa Tiberis cum caeteris virginibus sacra facere, ablegatis custodibus, transnatavit, et per legatos a Porsenna recepta, in tanto honore habita est, ut cum caeteris obsidibus in patriam remitteretur. Huius rei caussa et statuam equestrem meruit inauratam.

267. *Matronis lug.*: propter Lucretiam scilicet vindicatam, vel quia Superbo sub tyranno vim patiebatur castitas matronarum. Vindicius, servus, qui indicavit filios Bruti Tarquinio velle portas reserare; quos pater securi feriit, servum autem, ut conservatorem patriae, manumisit et ut delatorem dominorum cruci adfixit, quod factum matronae planxerunt.

268. *prima securis*: quia primus consul Brutus secures accepit.

273. *Nom. ab in.*: Romulus, ut augeret populum Romanum, secutus Atheniensium morem, asylum in luco constituit.

275. *Aut pastor*: quos collegit Romulus. *quod dicere nolo*: servus, aut infamis vel latro. Nam latronum aut perditorum collegit populum.

SATIRA IX.

QUERELA NAEVOLI DE RE INPUDICA.

In hac satira Naevolus philopygista queritur, quod divites cinaedi avarissimi sunt, et nihil de obsequio libidinis possit adquirere.

2. *Marsya victus*: aut proprie ab eo quem Apollo vicit, aut advocatus temporis illius.

4. *Ravola dum R.*: fecisti vultum tristem, qualem Ravola fecit, cum deprehenderetur lambens Rhodopes turpia. *Rabula*: a facto etymologiam nominis sumpsit poeta.

5. *Nos colaphum*: Sensus talis est. Servus colapho percutitur a nobis, si placentam linguat; Rabula autem, cum lambat inguina feminarum, impunitus incedit. *crustula*: species operis pistorii. Lucillius [1]: *gustavi crustula solus*, id est placenta.

6. *Non erat hac facie*: tua scilicet nebulo. *

8. *et fatuos*: qui ei scilicet pecunias credant non soluturo.

10. *Vernam equitem*: civem intra Urbem natum hilarem te faciebas. *

11. *Et salibus*: id est, facetiis urbicis abundans. id est, urbanus. id est, qui solebas in conviviis iocis omnes fatigare. *pomeria*: loca appellantur, quae intra muros sunt, hoc est pone muros.

12. *nunc contra*: id est, contraria laetitiae. *

14. *fascia visci*: psilotrum significat, dropacem, quo solebat se accurare.

15. *Sed fruticante*: populante, virente. *

16. *Quid macies aegri veteris*: ita macer et decolor, tanquam quartanarius.

---

1) *Lucillius*: Reliq. p. 230.

17. *domestica febris*: consueta, familiaris.

18. *Deprendas*: id est, omne vitium corporis sive aegritudo ex faciei colore deprehenditur. *animi tormenta*: quia animo aegrotat, non corpore. *

19. *sumit utrumque Inde hab. facies*: id est, et laetitiae et aerumnarum.

20. *flexisse vid. Propos.*: id est, excessisse institutum. *

22. *fanum Isidis et Ganymedem*: statuae, ad quas conveniebant cinaedi.

23. *et advectae s. palatia Matris*: Matris deum mysteria, cuius templum in Palatio est.

25. *Notior Aufidio moech.*: famosior moechus, quam Aufidius quidam. *

26. *Quodque taces ipsos*: solebas scilicet, quod non confiteris. Hoc autem velut ex persona eorum poeta refert, qui divites inclinant viros, et tamen modica consequuntur.

27. *Utile et hoc*: Naevolus hoc refert.

28. *Pingues aliquando lucernas*: in alio *pingues*, ut ostendat grossas et per hoc pluviales, quae muniant a pluvia, non quae ornent.

30. *Et male percussas*: male textas. *textoris pectine Galli*: veneti, aut albedine cadurco cucullo. Ut alibi [1]): *veneto duroque cucullo*.

31. *tenue argentum venaeque secundae*: modicum, aut leve, aerosum.

33. *Quas sinus abscondit*: penem dicit. *Nam si tibi sidera cessant*: si te non adiuvat fatum.

34. *mensura incognita*: ante non visa, quae excedat opinionem hominum.

35. *spumanti Virro labello*: quia salivosus fuit. *Virro* nomen divitis. Quamvis, inquit, ille dives cinaedus penem tuum conspexerit, et cupiditate blandis te epistolis et dipty-

---

1) *alibi*: Sat. III, 170.

cis sollicitet, nihil tamen accipies, nisi stellas bene positas in genesi habueris, quae tibi hoc praestent.

37. *αὐτὸς γὰρ*: ipse ad se trahit.

38. *Quod tamen ulter. m. q. mollis avarus*: id est, dives avarus infamis. Virgilius[1]): *Tristius haud illo monstrum, nec saevior ulla.*

39. *Haec tribui*: verba divitis. *dedisti*: in alio *tulisti*. *mox plura ded.*: adeo nihil aeque dedisti.*

40. *Computat ac cevet*: fiat computatio. *cevet*, crisat.

43. *An facile*: an putas, quod et in corrumpendo labor non est?

45. *qui foderit agrum*: id est, non erit miser, qui in agro laborat, non in dominum.*

47. *Et pulchrum*: hoc est, Ganymedi te comparas.

48. *Vos humili*: interrogative arguit. *

49. *Cultori*: id est, tenui clienti quemadmodum tu donabis, qui libidini tuae conferre dubitas?

50. *En cui tu v. v. c. succina mittas Grandia*: gemmata dextrocheria.

51. *aut madidum ver Incipit*: Matronalibus scilicet, quae sunt Kalendis Aprilibus, quibus est natalis Veneris.

52. *et strata p. longaque cathedra*: cervicalibus stratum scamnum dicit.

53. *Munera femineis t. s. Kalendis*: Kalendis Martiis, quibus Iunonis sacra celebrantur a Romanis, quia et tunc Ilia compressa est a Marte. Tunc nam Matronalia sunt.

55. *tot milvos*: Vult ostendere magnitudinem possessionum poeta, quam latae sint agris, ut nec milvi transvolare eas possint. *lassos* igitur, id est, volantes in agris tuis.

56. *Tripholinus*: nomen possessionis, in qua vineae plures erant. *

57. *Suspectumque iugum*: quod immineat Cumis, valde

---

1) *Virgilius*: Aen. III, 214.

altum. *et Gaurus*: Gaurus mons Campaniae. *Inanis* autem, superexhausto, aut transacto vindemiarum tempore; aut quia vaporiferos specus habet; aut melius est sic intelligere, quia omni arbore exspoliatus est et solis vinetis vacat.

58. *vict. dol. musto*: multum duraturo.

59. *lumbos don. cl.*: magis debes illi donare possessionem pauperi clienti tuo, qui libidini tuae satisfacit, quam puero, qui in agro tuo natus est.

61. *et conlusore*: ut solent infantes delectare.*

62. *Cymbala pulsantis legat. f. a.*: Archigalli, cymbala percutientis; ac per hoc Gallo inquit, dixit. *legetur*: id est, legatario donabitur.

63. *Sed pensio*: tributum, aut quod conductum maneat.

64. *ut Polyphemi Lata acies*: unicus oculus Cyclopis, quem Ulysses excaecavit.

66. *ambo Pascendi*: id est, ideo peto, quia pueros pasco et vestio.

67. *bruma spirante*: hiemis tempore, cum petunt calcearium, quid dicam?

69. *exp. cicadas*: aestivum tempus.

70. *Verum ut diss. ut mitt.*: negligas, dimittas.

71. *quod ni tibi deditus essem*: id est, nisi tibi omni animo devotus fuissem, uxorem tuam non devirginassem.

73. *quam s. rogaris*: nosti, quemadmodum me rogasti, ut hoc facerem. *

74. *pollicitus*: mihi scilicet. * *Fugientem s. p.*: volentem recedere de domo tua.

75. *tabulas q. r. et i. Signabat*: dotales tabulas frangentem, et repudium volentem tibi dare, et signantem tabulas, sive ut alii nubat, sive ut alium faceret heredem, saepius revocavi, dormiens cum ea, satisfaciens.

78. *Ad quem pervenit l. s. et dominae vox*: in coitu non tacentis, quod virgo erat, ut sit mariti maior infamia; aut cum virginem imitatur.

79. *Instabile*: * infirmum erit.* Exclamatio est.

80. *Coniug. in m. d. serv. adulter*: id est, divortium fieri, saepius adulteri non permittunt. *

81. *Quo te circumagas*: quo te vertas ad haec; quae dicturus es?

82. *Nullum e. meritum est*: id est, tantorum beneficiorum, quae in te contuli, nulla gratia vel vices rependitur? *

84. *Tollis enim et libris actorum*: nutris; et *libris actorum*, propter professionem scilicet, quia apud aerarium patres natorum deferebantur filiorum. Vel nominum noticiem devulgare contestatione publica.

86. *quod famae opp. possis*: ne dicaris cinaedus.

87. *Iura parentis habes*: Haec omnia ad ius civile poeta retulit; id est, meo labore habes filios, et scriberis heres, et non pateris poenas orbitatis.

90. *Si numerum, si tres*: si tres filios fecero. Nam a tutela excusant liberi, et in fascibus sumendis prior est, qui praestat numero filiorum. *Iusta doloris*: id est, iustas causas doloris habes, tamen ad haec quid ille respondit?*

92. *Negligit atque alium*: non curat, sed alium quaerit, qui eum corrumpat.

93. *Haec soli*: Naevolus amico dicit, Tibi soli haec secreta credidi.

95. *Nam res mortif.*: periculosus est cinaedus iratus aut offensus.

96. *ardet et odit*: id est, tanquam secretorum proditorem odit. *

97. *Sumere f.*: occidere, aut incendere domum.

99. *Nec contemnas*: ne tibi despectae sint, quas habet cinaedus iras. * id est, quamvis cara annona veneni sit, tamen * venena dat, quanticumque distrahantur.

101. *Ut curia Martis Ath.*: quia in Areopago primus est accusatus Mars a Neptuno, eo quod filium eius Palinrothion peremisset. Vel in Areopago Athenis, ubi sententiae feruntur graviores.

102. *O Corydon*: o stulte. *secret. div. ull. Esse putas*: id est, nihil potest esse secretum vel occultum.*

106. *nemo recumbat*: iuxta cubiculum nemo dormiat.*

108. *Proxim. ante d. c. sciet*: quicquid intra domum factum fuerit, statim vicinis nuntiatur.*

109. *archimagiri, Carptores*: infertores, qui inlata carpunt.

111. *ulciscuntur*: detrahendo.*

112. *Baltea*: lora, quibus caesi sunt. *Quotiens servi loris caesi, confingunt plura cum iunioribus malis, quasi verberati, et ita se putant vindicari, si crimina in dominos dicant.* *per compita*: quadruvia.

113. *vinosus inebr.*: impleat te ebrius secretis dominorum.

114. *ante petebat*: ut tacere possint.*

115. *sed prodere*: magis prodere secreta dominorum cupiunt quam vivere.*

117. *Pro populo faciens qu. Saufeia*: sacrificans virgo Vestae. Virgilius [1]): *Cum faciam vitulum pro frugibus, ipse venito*, *id est cum pro frugibus sacrificem, tu venito.*

118. *Vivendum recte est*: propter plurima quidem recte vivendum est, sed maxime propter servos, ut eos possit contemnere, nulla territus conscientia.*

125. *temporis et spes*: tanti temporis damnum.*

126. *Festinat enim decurrere*: id est, iuventus decurrere et senectus properare. Virgilius [2]): *breve et irreparabile tempus Omnibus est vitae.*

128. *dum serta, unguenta*: coronas et aromata.

130. *pathicus tibi d. amicus*: corrumpi volens, aut corruptus.

131. *his collibus*: id est, septem montibus, supra quos posita Roma est, Palatino, Tarpeio, Viminali, Aventino, Esquilino, Caelio, Vaticano.

---

1) *Virgilius*: Ecl. III, 77.

2) *Virgilius*: Aen. X, 467.

132. *carpentis et navibus*: ad corruptores et itinere venient et mari.

133. *Qui digito scalpunt uno caput*: cinaedi, cum muliebri more componunt caput. *Altera maior Spes superest*: multos inberbes habes tibi crescentes.

134. *tu tantum erucis*: dicitur haec herba ad coitum inflammare et vires dare.

135. *Haec exempla*: respondet Naevolus.

136. *si pascitur inguine venter*: usque adeo infelix sum, ut vix industria inguinis ad victum sufficiat.

137. *thure minuto*: thus minutum manna vocant. et in invidiam deorum penatium *minuto* dicit.

138. *exorare corona*: id est, coronatus floribus precari.

139. *Quando ego figam aliq.*: constituam, componam, habeam; aut certe quia in ceris vota figuntur apud templa; aut habeam ubi maneam, aut supra quod incumbam senex.

140. *A tegete*: casa mendici, a mendicitate. *viginti millia*: deest *ut sint*.

142. *Sed quae Fabricius*: plus sibi decem libris argenti petit. Fabricius censor collegam suum notavit in senatu, quia supra decem libras argenti unam fialam invenit. Antea enim non licebat senatorem plus habere. *et duo fortes*: lecticarios ait, quorum laturas locem et securus Circenses spectem.

145. *curvus caelator et alter Qui*: id est, opifices, servi argentarii, laboriosi anaglypharii.

146. *suff. haec*: plastae, archetypus.

147. *Quando ego p. ero*: non dico dives, at pauper, inquit, quando ero? Nam modo nec pauper sum. Ut Terentius [1]: *Nam mihi nihil esse, religio est dicere.*

149. *Adfixit ceras*: ad auriculas, id est, surda est. *illa de nave*: Ulyxis, ut Sirenarum periculum posset evadere.

---

1) *Terentius*: Heaut. II, 1, 16.

SATIRA X.

DE VOTIS CONTRARIIS.

1. *Omnibus in terris quae sunt a Gad. usque*: τρόπος συνεκδοχή, a parte totum. Nam cum Occidentem et Orientem significare vellet, locum posuit, Gades scilicet et Gangem, breviter complexus orbem. Nam Gades sunt in Atlantico mari, Hispaniae proximae, ubi se angustissimo divortio inter columnas Herculis in Mediterraneos sinus Oceanus infundit.

5. *quid tam dextro pede conc.*: quid tam merito credis optare ? *

8. *Di faciles*: satyrice, ad mala peragenda faciles, vel ideo *faciles*, quia preces stultas audiunt. *nocitura toga*: optantibus dignitates. *nocitura*: in pace et in bello.

9. *Militia*: figurate; verum non ad militiam, sed ad omnia retulit. quia superius comprehendit nocitura, *toga*, in pace, *militia*, in bello. * *torrens dicendi copia*: abundans eloquentia, aut fluens.

10. *viribus ille Confisus*: ut Milo Crotoniates, qui cum arborem manibus scinderet, brachia eius occupata sunt, et a lupis consumptus est.

13. *Strangulat*: apoplexin passi moriuntur.

14. *balaena Britannica*: metaphora in Tiberium et divites.

15. *Temporibus diris*: tyrannicis scilicet. Cum iussisset Nero omnes praedari, ad domos divitum milites cucurrerunt, pauci ad domos pauperum.

18. *rarus ven. in coen. miles*: difficile in domos pauperum vadunt, nec facilius periclitantur pauperes. *

19. *Pauca licet*: licet modica tibi sit res familiaris, metuis tamen impetum militis a Tiberio missi ad proscriptionem tuam.

21. *Et motae ad lunam*: Ut Virgilius [1]): *simul ipsa silentia terrent.*

22. *coram latrone*: ut generaliter intelligi hoc poeta figurate in Nerone. *

23. *Prima fere vota*: iam de votis loquitur, quia homines decepti sunt per divitias. *

24. *ut maxima toto Nostra sit arca foro*: Usque ad Cerealem praefectum in foro Traiani arcas habuerunt senatores, in quibus argentum aut pecunias tutius deponebant. Propterea et locus ipse, in quo erant arcae positae, Opes dictae sunt.

25. *aconita bibuntur Fictilibus*: id est, pauperes venena non timent. Et bene poeta, ut ostenderet paupertatem innocuam a crimine et divitias malis oppressas, vasa potoria ad demonstrandam diversitatem posuit.

27. *et lato Setinum*: vinum a Setio. In aurata, inquit, fiola cum vinum coloratum acceperis, time venena. Et *ardebit*, quia vinum splendescit in auro.

28. *de sapientib. alter*: Duo sapientes filosophi Democritus et Eraclitus erant, quorum Democritus actus hominum omnes ridebat, Eraclitus vero flebat. *

29. *Ridebat, quotiens*: qui hominum facta ridendo damnaret. *

32. *Mirandum est*: id est, non est mirandum adsiduos illius risus, sed mirandum est, unde lacrimae tantae habundarent Eraclito. *

33. *pulmonem agitare*: quia ex splene risum dicunt gigni.

35. *Praetexta*: * in civitatibus illis non erant praetextae, * quarum Tarquinius Priscus usum invenit et Romae intulit. Palmatam dicit.

38. *In tunica Iovis*: mappam mittentem in Circo consulem describit poeta. Nam *tunicam Iovis* togam palmatam

1) *Virgilius*: Aen. II, 755.

dixit, Tyria purpura confectam, hoc est Sarrana, ut Virgilius [1]: *Ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro.*

39. *Ex humeris aulaea togae*: eleganter *aulaea*, quasi latis velis. Cicero [2]: *Velis amictos, non togis.*

40. *Tantum orbem*: tantam magnitudinem.

43. *Da nunc et volucrem sceptro*: virga, quam consules portant, quia supra aquilas faciunt.

45. *et niveos ad frena Quirites*: in candidis togis officium facientes.

46. *quos sportula f. a.*: non amor verus, sed sportula.

47. *Tunc quoque mat.*: tunc quoque invenit Democritus materiam risus, cum haec, quae in Urbe fiunt, necdum essent reperta, id est, maior severitas et minor vanitas esset.

50. *Vervecum in patria*: apud Abderim, aut Megarim, quae fuit patria Democriti. Nam ex coeli vitio regiones solent aestimari. Nam fuit Democritus, ubi stulti solent nasci, id est Achivus. Vult igitur Democritum inter stultos prudentissimum natum.

52. *cum fortunae ipse minaci*: cum fortunam contemneret, nihil dicens se habere, quod ab ea exspectaret; quinimo infami digito ei turpiter insultaret.

54. *petuntur*: ut Democritus dixit. *

55. *genua incerare*: in signis insignare, vota facere.

57. *honorum Pagina*: aenea pagina, quae ante imaginem eorum stans, omnes eorum gradus honorum inscriptos continet; quam nunc dicunt tabulam patronatus.

58. *restemque sequuntur*: trahuntur, ducuntur.

59. *inpacta securis*: si *intacta*, nova; si *inpacta*, percussa, ab eo, quod est inpingo.

60. *et immeritis f. c. caballis*: quibus vecti sunt honorati. Nam poeta equestres statuas et consulares dicit immerito poenam sustinere, aut ad restem trahi. quod ait *sequi*,

---

1) *Virgilius*: Georg. II, 506.

2) *Cicero*: in Catil. II, 10.

aut certe conflari eum fuerunt, propriis moribus dignam sustinuerunt sententiam, ex quo ostendit per hoc vitam nobilium.

61. *Iam strident ignes*: conflatur statua, ut pecunia inde fiat.

63. *Seianus*: Seianus fuit Tiberio usque adeo carus amicus, ut nihil esset, quod ei a Tiberio petenti negaretur; usque adeo etiam de eo cogitaverit necem, ut dispositis coniurationis sociis occiso Tiberio ipse regnaret. Cum hoc cognovisset Tiberius, super eius nomine epistolam ad senatum misit; et sic per consules damnatus est, cum omni progenie sua, usque adeo ut filiam eius virginem iuberet senatus a carnifice stuprari et sic occidi, ut iure videretur fuisse occisa. *orbe secunda*: quia praefectus Urbi fuit, venerabilis, secundus a Caesare Tiberio.

64. *sartago*: conchae breves, aut vasa turpia.*

65. *Pone domi lauros*: hoc quasi populus loquitur.

66. *Cretatumque bovem*: candidum. Quid tibi, inquit, prosint dii, cum Seiano nihil profuerint. Ut Lucillius [1]): *Cretatumque bovem duci ad Capitolia magna.*

71. *verbosa et g. epistola*: multa nam superflua ad populum principes solent scribere.

72. *A Capreis*: insula in Campania. Virgilius [2]): *Teleboum Capreis cum regna teneret.* Ibi nam Nero habitabat.

74. *si Nyrtia Tusco*: Fortunam vult intelligi poeta, quae apud Nyrtiam colitur, unde fuit Seianus.

75. *si oppressa foret*: si, ut cogitabat Seianus, occideret factione Tiberium Neronem sua, potuisset favore fortunae modo Augustus esse.*

76. *hac ipsa*: * et hac ipsa diceret eum Augustum populus Seianum,* qua illi detrahit, potestatem imperii secuta.

---

1) *Lucillius*: Reliq. p. 440.

2) *Virgilius*: Aen. VII, 735.

77. *ex quo suffragia nulli*: id est, ex quo non est imperium populi, quod per suffragia diversis vendat. Hoc* est,* post Augusti monarchiam, ex quo Imperatores esse coeperunt. *ex quo suffrag.*: ex quo nemo ambit ad populi honores. *

81. *perituros audio multos*: iterum sibi loquitur populus, pavens, cum Seianus tractus est.

82. *magna est fornacula*: multos habet fornax, quos exurat.

83. *obvius aram*: aut patronus aut dōnspedius.*

84. *exigat Aiax*: Tiberius Nero quasi insanus, si inferior fuerit in bello, aut si scierit se a nobis fuisse contemptum.

85. *Ut male defensus*: timeo, ne eum Tiberius occidat, cum se dicat a senatu male defensum, et parum aliquid in Seianum factum.

87. *Sed videant servi*: proprii cuiusque servi, ne dicant dominos suos ad trahendum non convenisse, ne calumnientur. Quoniam dederat servis potestatem, ut liceret dominos accusare quibuslibet criminibus. ne ergo indicium de dominis facerent, si minus Caesarem vindicarent in corpore Seiani.

89. *haec murmura vulgi*: haec inter se secretim loquebatur populus.*

90. *Visne salutari*: hoc quasi ex persona poetae inseritur.

91. *summas donare curules*: consules facere.

92. *Illum exercitibus*: magistrum militum facere. *tutor haberi Principis*: patricius fieri.

93. *Augusta Caprearum in rupe s.*: Tiberius Nero secessum eum elegerat. De qua insula Augustus *ἀπραγόπολιν* dixit, quod ibi esset otii locus, ut ait Suetonius [1]). *sedentis*: Significat et diu et turpiter vixisse Capreis Tiberium, qui Seianum velut tutorem habuisset.

---

1) *Suetonius*: Aug. 98.

94. *Cum grege Chaldaeo*: cum magis aut mathematicis.

95. *et castra domestica*: Iuxta aggerem primus castra posuit Seianus, id est super Diocletianas, quae dicta sunt castra Praetoria.

97. *Sed quae praeclara*: quid iuvat tanti aestimare bona, si cum his et mala perveniant?

99. *praetextam sumere mavis*: id est, praefectus et consul esse cum periculo, an securus minorem dignitatem administrare, ut si aedilis aut curator cuiuscunque parvae civitatis, ut iuberes tabernariis.

102. *vacuis Aedilis Ulubris*: desertum Italiae oppidum ait iuxta Romam.

106. *unde altior esset*: in tantum enim culmen Fortuna levabit, ut graviori lapsu postea deiiciat. *

108. *Quid Crassos*: nisi veluti ad primam potentiam. *

et illum Ad sua: Syllam, Cinnam sive Caesarem.

110. *Summus n. locus*: honorum culmen, regnandi cupiditas.

111. *Magnaque numinibus v. e. m.*: dii nam irati exaudiunt, et praestant contraria futura petentibus.

112. *Ad generum Cerer.*: ad inferos. Plutonem dicit. *

113. *et sicca m.*: incruenta, ac per hoc naturali morte sua.

115. *et totis Quinquatribus*: diebus festis, quibus Minerva colitur. aut quod intra quinque atria fit. atria abundat. nam dies quinque in uno festi.

116. *uno p. colit asse Minervam*: vilioris pretii fictilis Minervae signum. Aut certe eum nunc ostendit puerum, qui adhuc discit, et arcula sequitur eum; aut qui tenue adhuc eloquium habet.

117. *capsae*: in qua signum aut codices reponit.

118. *Eloquio sed uterque*: Demosthenes et Cicero. Nullus enim tanti fuit ingenii. Ergo ambos affluens ingenium et eloquentia * acerbissimae * morti subiecit. Ille nam a Philippo, hic ab Antonio occisus est.

120. *Ingenio manus est*: Ciceronis exitium describit poeta. Addit etiam: verum per haec omnia ostendit, libertatem linguae vel ingenium posse facile periclitari. *

121. *Sanguine causid.*: nunquam periclitata est mediocris eloquentia. *

122. *O fortunatam*: Hic versus male compositus est Ciceronis. Et est cacemphaton. Dicit ergo, si Cicero nihil peritius scripsisset, non interficeretur.

124. *Ridenda poem. malo*: Malo, inquit, me esse deridendum poetam, quam bonum periclitari. *

125. *Quam te conspic.*: nam in Filippum magnifice dixit.*

128. *frena theatri*: μεταφορικῶς, cohibentem vulgi tumultum.

129. *Dis ille adversis*: Philippus rex Macedonum cum vicisset Athenienses et parceret civitati, Demosthenem sibi dari ad supplicium petivit. Verum cum hoc ageretur, sumpto veneno se interemit. Filius autem fabri ferrarii fuit Demosthenes.

133. *Bellor. exuviae*: id est, alii militiam optant. *

134. *Lorica et f.*: spolia, quae tropaeis solent adfigi, bello erepta.

136. *Aplustre et summo t. c. i. ar.*: id est, in arcu triumphali, quae solent imponi. Aplustra, tabulatum ad decorandum superficiem navis adpositum. Alii dicunt rostra navis, ornamentum puppis, ἄφλαστα.

137. *ad hoc se*: id est, non propter virtutem posse volunt, sed propter famam et gloriam; cuius caussa etiam imperium adsumptum est.

138. *induperator*: imperator. *

139. *Erexit*: propter famam volunt posse. *

140. *famae sitis*: corruptae gloriae cupiditas et desiderium.

142. *Patriam tam. obruit*: id est, multi propter gloriam suam et propter potentiam patrias perdiderunt. *

143. *Gloria paucorum*: id est, Caesaris et Pompeii et aliorum.

144. *Haesuri saxis*: id est, inscribendi sepulchris.

145. *Discutienda*: dirumpenda. in quibus saxis caprificus nascitur.

147. *Expende H.*: examina, pensa.

148. *Africa Mauro*: quantum ab Oriente distendit Oceanus.

150. *Rursus ad Aethiopum*: duo sunt Orientis et Occidentis. In occasum Garamantici degeneres, in ortum Macrobii praestant eos, qui iunguntur Mauritaniae, aequitate, aetate, virtute.

151. *Additur imperiis Hispania*: Hannibalis, quia et eam obtinuit.

153. *Diducit scopulos*: nam dicitur primus Hannibal per Alpem viam fecisse, dum saxa montium ingentia igni primum exureret, deinde acetum acrum suprafundebat, et sic cecidit, et viam fecit, qui et in Alpibus a frigore oculum perdidit.

155. *nisi Poeno mil.*: id est, nisi portas infregero et Romam intravero.*

158. *Cum Gaetula ducem*: constat nam Hannibalem a fulmine ictum oculum perdidisse, camelo vehi solitum vel elephanto.

162. *Donec Bithyno*: Prusia in Yrcynia civitas. Post annos sedecim Hannibal Italia pulsus, et in Africa victus ab Scipione, et postea pulsus a civibus, fugit ad Antiochum Syriae regem: quem male impulsum ad bellum Romanis inferendum, victus cum regia classe deseruit. Inde descendit ad Prusiam, Bithyniae regem. Quo cognito, Romani legatum mittunt ad Prusiam Quintum Flaminium, ut sibi daretur perducendus ad urbem Romam. Quod ne fieret, praevenit Hannibal hausto veneno, quod sub anuli gemma omni tempore habuerat.

165. *Cannarum vindex*: quia populus apud Cannas, vicum Apuliae, ab Hannibale occisus est.

167. *Ut pueris placeas*: ut de te pueri studentes dicant. In scolis deliberativa: Hannibal, utrum de Alpibus recederet.

168. *Unus Pellaeo*: Alexandro Magno. Hic nam in Pella natus est Macedoniae civitate.

169. *Aestuat infelix*: Ita, inquit, Alexandro parvus videbatur mundus ad regnandum, quasi solis desertis duabus insulis imperaret inclusus.*

170. *Ut Gyarae cl. s. p. q. Serypho*: insulae angustae, exulibus aptae.

171. *Cum tamen a figulis munit.*: Babylonem significat Persarum civitatem, quam condidit urbem Semiramis, Nini uxor, et coctili latere munivit, quem hodie dicimus ordinarium lapidem. In hac igitur urbe Alexander, devictis Persis ingressus, veneno periit. Haec urbs sexaginta millium circuitu patet ex latere cocto circumdata muris, quorum latitudo ducentos pedes detinet, altitudo quinquaginta.

172. *Sarcophago contentus*: quem vivum mundus non ceperat, mortuus exiguo loco contentus est.

174. *Velificatus Athos*: Xerxem dicit, Persarum regem, qui Athonem montem in Achaia dicitur perforasse et immisisse terris novum mare, Pontum contabulasse navibus, atque ita exercitum in Achaiam transtulisse.

178. *et madidis cantat quae Sostratus alis*: Sostratus poeta fuit. Hic Xerxis regis facta descripsit. *madidis* autem ideo, quia omnes, qui cum sollicitudine recitant, necesse est, ut alae eius sudent. Sic Horatius [1]): *sudor ad imos Manabat talos.*

179. *Salamine relicta*: cum victus a Graecis fugit.

180. *In Chorum atque Eurum s. s. fl.*: *Ventos scilicet.* Solebat verberare flatus. Sic nam fingunt Graeci poetae.

182. *Ipsum compedibus*: Dicebat nam Xerxes, usque adeo vicisse se procellas Hellesponti, ut Ventos flagris compesceret, et ipsum Neptunum compedibus vinciret.

183. *Mitius id sane*: ironia; quia non cecidit, ne ma-

1) *Horatius*: Serm. I, 9, 11.

culam inferret notae secundum ius. *stigmate*: quia non hoc inscribi iussit.

184. *Huic quisquam vellet servire deorum*: quia pontem mari superposuit, finxerunt illi servisse Neptunum, quemadmodum Laomedonti regi Phrygiae. Vel propter Apollinem, quia serviret Admeto.

185. *Sed qualis rediit*: interrogative pronunciandum.

188. *Da spatium vitae*: prolixum tempus vitae.

189. *Hoc recto vultu*: laetus et tristis vitam longam optas.

190. *longa senectus. n. t.*: aut iubat his nocet. Senex optas in quocunque statu fueris.*

192. *pro cute pellem*: senectus praestat. *

194. *Quales umbriferos*: Opacas silvas esse in Africa poeta dicit, in regione Tabracena, in quibus simiae nascuntur.

196. *Plur. sunt*: qui discerni possint inter se.

198. *Una senum facies*: id est, dissimiles et multae figurae sunt iuvenum, et est unicuique sua gratissima, quod quidam pulcher est, alter fortis, alter eloquens: senibus enim una esse videtur forma.

199. *madidique infantia nasi*: ita nam senibus humor de naso, ut infantibus, pendet.

200. *Frangendus misero g. p. i.*: Notandum masculino genere dixisse, ut hic *gingiva*. Quia dentes ruerunt, gingiva panis frangendus est.

202. *Fastidia Cosso*: heredipetae.

203. *Non eadem vi.*: nullus illi sapor est.

204. *nam coitus i. l. o.*: ut Virgilius [1]): *Frigidus in Venerem senior.*

205. *iacet exiguus cum ramice nervus*: penis. Ut Virgilius [2]): *Ut quondam in stipulis magnus sine virib. ignis.* Ramicem dicit intestinum.

---

1) *Virgilius*: Georg. III, 97.

2) *Virgilius*: Georg. III, 99.

206. *Et quamvis tota palpetur nocte*: fricetur, praepudietur.

208. *suspecta libido est*: ut infames dicantur, qui sine ullo calore coitum desiderant.

210. *nam quae cantante vol.*: id est, quod parvitatem nec audit vocem, nec delectatur, quanquam ad spectandum conveniat. *

214. *Qui vix cornic. exaud.*: id est, usque adeo non potest delectari cantilena et cithara, quem strepitus cornicinum non commovent. *

216. *Quem dicat venisse puer*: quia per aetatem nec videt, et nisi puer admoneat, nihil sponte sentit.

217. *Praeterea minimus gelido*: ut Virgilius [1]): *gelidus tardante senecta Sanguis hebet.*

219. *Morborum omne genus*: id est, omne genus aegritudinis. Ut Terentius [2]): *Rogas? Senectus ipsa morbus est.*

220. *Promptius expedit*: facilius dicam nomina vel numerum moechorum, quos amavit Eppia. *

221. *Quot Themison aegros*: archiater illius temporis, cui detrahit.

222. *Quot Basilus*: advocatus illo tempore praevaricator. *quot cir. Hirrus*: tutor.

223. *quot longa viros absorb.*: hanc ostendit ore fuisse impuram.

224. *quot discipulos inclinet Hamillus*: magister, infantum corruptor.

225. *Percurram citius*: quot villas habeat extonsor, eo die, qui me tutundit, senator factus. *

226. *Quo tondente gravis*: Licinius ex tonsore senator factus.

227. *Ille humero*: Redit ad senes.

---

1) *Virgilius*: Aen. V, 395.

2) *Terentius*: Phorm. IV, 1, 9.

229. *digitis alienis*: chiragra debilis, qui ab alio cibatur.

230. *diducere rictum*: os applicare, ut pulli hirundinis, quae pleno ore volat, dum incibat filios suos.

233. *maior dementia*: ad postremum, quod desipientes efficiuntur.

234. *nec vultum agn.*: id est, incipit nullum agnoscere de suis, nec filios suos aut amicos. *

238. *Ad Phialen*: inpuram hanc fuisse demonstrat poeta, interea et artificem ad inquietandum senis inguinem.

239. *Quod steterat*: ex eo quam diu prostiterit.

240. *Ut vigeat sensus*: pone, ut non sit demens, qui diu vixerit, tamen omnes effert ipse filios suos.

242. *plenaeque sororibus urnae*: Urnae vasa, in quibus mortuorum ossa componebantur, postquam corpus arsisset.

246. *Rex Pylius*: Nestorem dicit, qui dicitur tertiam usque aetatem vixisse, id est, CCC. annos, ut dicit Homerus.

247. *a cornice sec.*: alii dicunt, quia plus vixit, quam duae cornices possunt vivere. *

250. *Quique novum toties*: qui multos autumnos vidit.

parumper Attendas: peto, ut modicum videas. *

253. *Antilochi barbam*: filium suum ploravit Antilochum, quem Memnon, auxilium patri ferentem, occidit in Troia.

cum quaerit ab omni: ab omnibus, qui ei solatium praestabant. *

257. *Atque alius*: Laertes, propter Ulyxem naufragum.

259. *Assaraci magni s.*: id est, felix etiam fuisset Priamus, si ante incendium Troiae fuisset mortuus, cuius funus omnes filii sui deduxissent.

260. *Portante*: quae solent a filiis in funere patris fieri.

264. *audaces Paris*: bene *audaces*, quia Helenam, alienam uxorem, ablaturae erant.

265. *omnia vidit Eversa*: ut Virgilius 1): *Urbis uti*

---

1) *Virgilius*: Aen. II, 507.

captae casum collapsaque vidit etc. Ergo hoc illi prolixa vita praestitit.

267. *arma tiara*: *posita tiara*, id est corybantio. Ut Virgilius [1]): *Arma diu senior desueta trementibus aevo Circumdat nequiquam humeris.**

268. *Et ruit ante aram*: * occisus est.* Ut Virgilius [2]): *Sanguine foedantem, quos ipse sacraverat, ignes.*

270. *ab ingrato i. f. a.*: contemptus ab aratro senex, qui non potest laborare, id est arare.

271. *sed torva canino*: Hecubam dicit, quae, excaecato Polymnestore, cum saxis impelleretur a populo Thracum, versa in canem fertur. An quia Graecis convicia congerebat, canem nominaverunt?

273. *et regem transeo Ponti*: Mithridates cum per quadraginta annos adversus Romanos dimicasset, cum Pharnacem filium suum apud caeteros eius fratres voluisset occidere, ab omni relictus exercitu est, et exhausto veneno periit, accepto frequenter antidoto, ut perire non posset. Postea vero Pharnaces successit eius imperio.

274. *Et Croesum*: Cum interrogatus fuisset Solon a Croeso, si aliquem vidisset tam gloriose regnantem, ille dixit, debere vitae ultimae eventum exspectare. Quem cum Cyrus captum victor vivum iussisset in rogo poni, clamare coepit, Solonem non sibi esse mentitum; atque ita a Cyro est liberatus, timente, ne aliquid sibi faceret in extremo vitae spatio perdurante.

276. *Exilium et carcer Mint.*: Cum Sylla cum Iugurtha in Africa pugnaret, Marius supra ipsum ambiit, et missus est. Illo remoto, vicit. Posthaec cum denuo ad Mithridatem Sylla mitteretur, et profectus esset in Campania, iterum coepit ambire supra eum, et inde discordia inter eos nata est.

---

1) *Virgilius*: Aen. II, 509.

2) *Virgilius*: Aen. II, 502.

Verum cum Sylla reverteretur ob hanc caussam, Marius fugit, et latuit in Galliis in Minturnarum paludibus. Qui cum fuisset ibidem agnitus, in carcerem missus est; et cum carnifex ad occidendum eum missus esset, visa circum eum tanta maiestate, vel quid futurus esset, relicto gladio pavens fugit, ac retulit cognita his, a quibus missus fuerat. Illi eum dimitti iusserunt. Qui cum fuisset dimissus, in Africam abiit, id est Carthaginem. Ibidem solutis ergastulis Romam venit, et omnes Syllanos occidit, et receptus a Cinna tunc consule tenuit Urbem. Postea consul VII. fuit. Sylla posito in bello qui ante adventum Syllae fato suo mortuus est.

277. *Et mendicatus*: Ut Lucanus Carthaginem pro Africa posuit, cuius partem Numidiam vicerit Marius sub Iugurtha. *

281. *Bellorum p.*: si triumphi media pompa cum bellis finiret et vitam. *

282. *de Teutonico*: de triumpho Gallico. *

283. *Provida Pompeio*: nam dicitur Pompeius, mox quam suscepit bellum civile contra Caesarem, in Capua vehementer aegrotasse; et quia non potuit febre emori, servatus est, ut a Caesare occideretur.

287. *Lentulus*: qui proditor fuit, et Cethegus, coniuratus Catilinae, * talem mortem non pertulerunt, sed * laqueo, quasi coniurati, non gladio, perierunt.

290. *cum Veneris fanum videt*: id est, cum ad templum Veneris vadit.

291. *Usque ad delicias v.*: id est, usque ad hoc deliciae hominum veniunt, ut pulchritudinem optent filiis suis.

292. *pulchra gaud. Latona Diana*: a maiore ad minus.

293. *Sed v. o. f. Lucretia*: Lucretia uxor Tarquinii Conlatini, quam Tarquinius, amorem eius non sustinens, invitam dicitur corrupisse, propter quod illa mortem sibi adscivisse dicitur.

294. *cuperet Rutilae Virginia gibbum*: Virginiam Appius Decemvir adamatam, clienti, quem ob hoc subornaverat, in

servitutem addixerat. Propter quod eam pater Virginius interemit. Decemviris imperium abrogatum, Appius in carcere necatus est.

301. *Sanguine ferventem*: cito erubescentem.

302. *quid enim puero*: quid plus potest conferri in pueris, nisi ut boni mores tradantur, et custos adhibeatur? Sed haec omnia vincit natura, quod corruptores prohiberi non possunt. *

304. *Non licet esse viros*: ut omnia interim ad custodiendum fiant, inter viros permanere formonsus non potest.

tui: cui multorum erit causa malorum et ingentium. *

310. *et iuven. spec. laetare tui*: exulta in pulchritudine filî. *

312. *et poenas metuat, quascunque mariti Irati debent*: id est, tyrannus nullum ephoebum in arce sua tentum in adulterio foedum castravit, nisi formonsum.

313. *nec e. f. astro Martis*: qui cum Venere deprehensus est in adulterio.

315. *plus quam lex*: plus nam dolent mariti. In adulteros quaqua lex iubet, exercent. *

317. *et mugilis intrat*: piscis, grandis capitis, postremis exilis, qui in podicem moechorum deprehensorum solebat immitti.

318. *Sed tuus Endymion*: pulcher tuus. Endymion pastor, quem Luna adamavit.

319. *Servilia*: nomen cuiusdam mulieris turpissimae.

320. *exuet omnem Corporis ornat.*: Pro libidine usque et sua ornamenta, inquit, donat mulier, ut tantum ad libidinem suam possit inducere filium tuum.

322. *sive est haec Oppia*: quaelibet nobilis matrona, *in desiderio viri. * nihil aliud propter libidinem spectat.

324. *Sed casto*: quasi obiectio. Quid enim, si castus fuerit, pulchritudo nocet?

325. *Hippolito*: id est, quid profuit castitas Hippolito et Bellerofonti? nam propterea damnati sunt. *

326. *nempe haec*: Phaedra Minois filia, uxor Thesei, noverca Hippolyti.

327. *Nec Sten.*: Proeti uxor, quae amavit Bellerophontem.

329. *Cum stim. o. p. a.*: dum laesa aut contempta erubescit, dum laesus amor irascitur. Ut Virgilius [1]): *duri magno sed amore dolores Polluto, notumque furens quid femina possit.*

330. *cui nubere Caes. uxor*: uxor Claudii Messalina, quae Gaio Silio palam nupsit, inducto etiam Claudio, ut tabulas dotales obsignaret; quod quasi de industria simularetur, ad avertendum periculum, quod immineret ipsi, per quem dum portenta ostenderentur Hostilium transeuntem per forum rapuit Claudius, et necavit.

333. *Messalinae oculis*: vidente ipsa, id est, ante oculos amatus crucifigitur.

334. *Flameolo*: quo nova nupta operitur. *genialis*: lectus, ubi concumbunt.

335. *centena dabuntur*: dos scilicet secundum morem.

336. *auspex*: auspices ut solebant nuptiis interesse.

337. *et paucis commissa*: clanculo celèbrari.

338. *Non nisi l. vult nub.*: * id est, illa * adultera.

339. *pereundum erit*: si contradixeris, moreris; si consentias, paululum mortem differis. *

342. *interea tu obsequere*: interea dum ad illum pervenit crimen admissum, tu illi vel tibi fac satis. Nam sive indulseris, sive negaveris, tantundem erit.

346. *Nil ergo optabunt h.*: obiectio cum interrogatione.

347. *Permittes*: pones in voluntate deorum.

350. *Carior est illis ho. q. sibi*: ipsi non petita bona praestabunt. Plus enim nos ipsis cariores sumus, quam nobis.

351. *caeca magn. cup.*: caeco sive vano desiderio.

353. *Notum qui pueri*: sciunt futura.

---

1) *Virgilius*: Aen. V, 5.

354. *voveasque sacellis*: votum facias in templis.

355 *tumacula porci*: pinguia quaedam viscera.

356. *Orandum est*: hoc solum petendum est. *

357. *et mortis terrore c.*: qui mortem contemnat.

358. *inter munera ponat*: pro donis mortem habeat.*

359. *Naturae qui ferre queat*: quicquid imperat natura.

361. *Herculis aerumnas*: id est, laborum gloriam ferat, et praeferat labores deliciis.

362. *et pluma Sardan.*: Sardanapalus rex Assyriorum luxuriosus: de quo Tullius in tertio de Republica [1]) sic ait: *Sardanapalus ille vitiis multo quam nomine ipso deformior.*

364. *unica vitae*: via, quae sola quieta esse potest vitae.*

365. *Null. n. h. si sit Pr.*: ne quid deos, qui sapiat, timebit.

366. *nos te Nos facimus F. deam*: dum petimus aut speramus aliquid.

SATIRA XI.

DE COMPARATIONE VICTUS.

Ad Persicum scribit in eos, qui ultra vires familiaris rei pretiosas epulas comparant ad extruenda convivia.

1. *Atticus*: Poeta nomina duo posuit, cum de generalitate loquatur. Per Atticum vero divitem vult intelligi quemlibet; per Rutilum autem pauperem: quem dementem ideo dixit, quia in divitibus quae humanitas dicitur, haec in paupertate dementia habetur.

---

1) *Republica*: p. 114. ed. Heinr.

3. *Omnis Convictus, thermae*: Deest, loquuntur omnes.

5. *iuvenilia membra*: dum iuvenis est. *

7. *sed nec prohibente Trib.*: qui custodes erant libertatis.

8. *et regia verba*: superba et delicata, id est, se auctoraturus, aut haec scripturus, quae iuris et consuetudinis erant ab iisdem scribi, qui accepto pretio se in ludo distrahebant.

9. *Multos porro vides*: Eos vult intelligi, qui ex pecunia sibi credita luxuriantur. *quos saepe elusus*: id est, frequenter delusi ex pollicitatione redhibitionis, ibi eos expectant, ubi res aptae luxuriae distrahuntur.

11. *Et quibus in solo*: qui tantum propter gulam volunt vivere.

14. *Interea gustus*: hos *gustus*, masculinum.

15. *Numquam animo pretiis o.*: intensiose emunt, quae carius distrahuntur. Haec enim eos plus delectant.

17. *perituram arcessere summam*: non dubitant mutuo accipere, quae perdant magis, quam erogent.

18. *Lancibus oppositis*: id est, argentum vendet aut matris suae imaginem, si in auro picta est aut in argento.

19. *condire gulosum Fictile*: hypallage; nam *gulosum* * dixit * pro eo, quod gulosis paratur. *Fictile* autem, patinam accipiens ut cacabum, gulosis cibis compositum.

20. *Sic veniunt ad miscellania ludi*: id est, cum non habeant, unde manducent, distrahunt se ad ludum. genus miserabile ferculi. Miscellania, cibus gladiatorum, id est, ultima coena. Ideo miscellania, quia omnia, quae apponuntur eis, miscent et sic manducant.

22. *laudabile nomen*: bonum nomen, vel famam accipit.

24. *qui scit quanto*: id est, pauper, qui novit, quantum distat a divite, et tamen non se agnoscit, et quasi dives luxuriatur. *Athlans*: metaphora a montibus.

26. *quantum ferrata d.*: id est, a maiore patrimonio paupertas aut mediocris res familiaris.

27. *γνῶθι σεαυτόν*: Socratis philosophi dictum; id est, agnosce te, qui sis, et secundum possibilitatem tuam age.

28. *et mem. tr. pectore*: in memoria habendum, considerandum semper. *

31. *in qua se transducebat*: idoneum existimabat, transferebat.

32. *causam Proteg. affectas*: defendere negotium iniustum aut dubium. *

33. *dic tibi quis sis*: considera eloquentiam tuam, si ad defendendum est idonea. *

34. *an Curtius an Matho buccae*: iactanticuli, qui tantum buccas inflant, et nihil dicunt.

35. *Noscenda est mensura sui*: id est, consideranda in omnibus rebus est mensura uniuscuiusque rei, et si ad hanc sufficit, sic eam debes adsumere.

36. *etiam cum piscis emetur*: etiam in rebus levissimis.

37. *Ne mullum*: pretiosum piscem non debes emere, cum sis pauper.

39. *aere paterno*: qui eventus subsequitur comestorem, cum non habeat. *

40. *Ac rebus mersis*: id est, patrimonio; *cum omne patrimonium suum mergat in ventrem. *

43. *Annulus*: post omnia vendit annulum e digito, et comedit. *

44. *Non praematuri*: id est, non magis metuenda mors in iuventa luxuriantibus, quam senectus.

46. *Hi plerunque gradus*: frequenter his rebus ad summam egestatem pervenitur; et cum mutuo acceptam a creditoribus pecuniam devoraverint, in exilium sponte eunt, id est, ad Baias, ubi maior est luxuria, ubi et reliquam, si est, pecuniam devorent. tunc nam, cum non superest aliquid, ne sit facultas repetundi pecuniam suam, exilium sibi indicunt annum abesse patriae suae. Vertere solum est exilium pati.

47. *coram dom. cons.*: mutuo accepta ante creditores comedunt. *

48. *pallet foenoris auctor*: creditor, consumpta pecunia.

50. *Cedere namque foro*: id est, tantum illis est deserere patriam suam vel forum, quantum est a Subura, frequentissima regione, ad Diocletianas migrare, ubi solitudo est.

non est deterius: id est, nihil est deterius, quam abesse foro, ut et patriam deserere patiaris. *

52. *illa Moestitia est*: hoc tantum dolent.

56. *Experiere hodie*: Intelliges, inquit, Persice, utrum praeceptis meis vita conveniat, sed nedum ego patrimonium laudo. Ideo *siliquas* posuit luxuriae rictu.

59. *Coram aliis*: id est, ante alios, ut frugi videaris, pultes aut legumina iubes parentur tibi, in aurem autem puero alia dicis tibi parari *Siliquas*: id est, parcitatem. Nam proprie siliqua est, qua legumina continentur.

60. *Nam cum sis conviva*: qui te mihi convivam futurum promisisti. Nunc poeta vult hoc intelligi. Cum, inquit, sis vir magnus, excipieris tamen a me hospitio paupere, ut scilicet Hercules ab Euandro, aut Aeneas. *Haec, inquit, limina victor Alcides* [1]).

63. *Alter aquis*: Aeneas, qui in Numicium fontem lapsus, creditur consecratus. Ideo ait *aquis. flammis* vero Hercules, qui in Oeta monte se incendit, non tolerans ardorem vestis, quam in sanguine Nessi Centauri tinctam, caussa pellicis, uxor sua Deianira vestiendam porrexit.

64. *Fercula nunc audi*: id est, ordinem convivii hodierni, quod tibi exhibiturus sum, exponam. *

66. *inscius herbae*: lactans, qui adhuc herbam non contigit. Ut Virgilius [2]): *Una die siccant ovis ubera.*

68 *et montani Asparagi*: quia sunt et in hortis.

70. *tortoque calentia foeno Ova*: recentia ova cum ipsis gallinis.

---

1) *Virgilius*: Aen. VIII, 362.

2) *Virgilius*: Eclog. II, 42.

72. *quales fuerant in vitibus uvae*: uvae, quas suspensas servavimus.

74. *Aemula Picenis*: tanquam Picena.

75. *siccatum frig.*: hieme; nam sicca poma non incitant morbum, humore nocivo consumpto, sive digesto succo malo.

77. *Haec olim nostri*: veteres, licet adhuc parce viverent, tamen iam egrediebantur antiquam parsimoniam.

78. *Curius*: De hoc Cicero in Catone maiore[1]): *Curio, ad focum sedenti, magnum auri pondus Samnites cum obtulissent, repudiati sunt. Non aurum habere praeclarum sibi videri dixit, sed qui haberent aurum, imperare.*

82. *Sicci terga suis*: in crate pendens laridum.

83. *festis serv. dieb.*: id est, ut non tangeret, nisi festis diebus. *

85. *Accedente nova*: id est, recenti, ut *Duo lacte novo*[2]).

87. *Castrorum imperiis*: dux, magister exercitus.

88. *solito maturius*: citius solito, ante horam nonam.

89. *Erectum domito*: sola dignitate clari; nam nec superbi, nec divites. Et *domito*, id est, fosso et subacto monte.

91. *et Fabricios*: Fabricium censorem dicit, cui in censura Maximi nomen obvenit, qui luxuriam reipublicae damnans, a collega Publio Decio postulavit, ut aut ipse, quemadmodum ei videretur, mores hominum emendaret, priorum censorum negligentia perditos, aut pateretur se revocare pristinum civitatis statum: quorum si neutrum faceret, minitatus abdicaturum se eum magistratu. Decius ergo exterritus, permisit, ut, quemadmodum vellet, rempublicam administraret, se consentiente.

93. *Nemo inter curas et seria*: inter necessaria.

94. *Qualis in Oceani fluctu testudo*: ut lectum testudineum haberet. Lectos nam antiqui testudine Oceani ornabant.

---

1) *Catone maiore*: c. 16.

2) *Virgilius*: Aen. V, 78.

95. *et nobile fulcrum*: nobilius dixit, quam lectum.

96. *Sed nudo latere*: non ornata sponda.

98. *ruris alumni*: rustici infantes.

99. *Tales ergo cibi*: talia convivia eorum, quales et res familiares.

100. *et Graias m. n. artes*: signa sive alias ornaturas.

102. *Magnorum artif.*: magno artificio confecta pocula.

103. *Ut phaleris g. equus*: id est, ut de poculis fractis phaleras et alia ornamenta militaria fabricaret.

104. *ferae mansuescere iussae*: a diis, ut pueros nutriret Remum et Romulum.

106. *clypeo venientis*: Martis ad Iliam venientis, ut concumberet.

107. *Pendentisque*: de aere.

109. *farrata catino*: cibus ex farre, qui cibus primus antiquorum fuit.

110. *Omnia tunc quibus*: hoc est, omnia tunc praestantiora erant et tanti pretii, quibus, si avarus sis, invidere possis.

111. *et vox Nocte fere media*: Conturbantibus Gallis Senonibus, repente vox monentis audita est, hostem caverent. Itaque hostibus pulsis, restituta Urbe, templum constitutum est et consecratum Deae Monetae. Dicit nam Iovem adventum Senonum praenuntiasse Gallorum. Unde Virgilius [1]): *Armorum sonitus toto Germania coelo Audiit.*

114. *Officium vatis*: officium sacerdotis et aruspicis dii fecerunt, sacerdotum more fugientibus. Ipsorum enim fuerat imminentia Romanis pericula nunciare.

116. *et nullo violatus Iuppiter auro*: id est, cum necdum auro textus esset, sed fictilis tota Iovis conpago, magna pro nobis cura vigilabat.

117. *nostraque ex arbore mensas*: ut mensas fierent nucinas.

---

1) *Virgilius*: Georg. I, 474.

119. *deiecerat Eurus*: quam ventus deiecisset. *

123. *Grande ebur*: eburnea mensa, ex ebore facta. *pardus hiatu*: pardus, qui sustineat orbem.

124. *porta Syenes*: civitas Aegypti.

125. *Et Mauri celeres*: Nam et apud Mauritaniam interiorem dicuntur nasci elephanti; unde et Hannibal habuit. Praeterea hoc nam addunt, quod cum senserit se grandes habere dentes, in terram eos figit, et inde abducto capite eos amittit.

126. *Nabathaeo bellua saltu*: locus in India, ubi nascuntur elephanti.

127. *Hinc surgit orexis*: libido vescendi hinc delectat cibum capere, si mensa est eburnea.

128. *nam p. a. illis*: mensis scilicet. Ut est, inquit, nobis vilis anulus ferreus, ita illis mensis pes argenteus, nisi fuerint elephanti dente compositae.

130. *qui me sibi comparet*: id est, qui me ex comparatione contemnat, non eum invito.

135. *Rancidula*: quia ossea sunt manubria.

136. *cui credere debeat*: cui quasi magistro subiaceant omnia.

137. *Pergula*: coquina, qua boletaria ponuntur.

138. *et pygargus*: Pygargus fera est specie cervi, quae retriores partes albas habet. Ideo et pygargus dictus est, quia Graece nates πυγὴ dicuntur.

139. *Et Scythicae volucres*: Fasianus, ἀπὸ τῆς φάσιδος tur et alvum Argo navis. Pylargus, avis genus, clagalopes appellatur. *et phoenicopterus ingens*: genus avis, quae habet pinnas colore phoenicio; in aqua semper est, abundans in Africa. Huius rostrum tam prolixum est et curvum, ut, nisi merso capite, aqua in os ipsius non possit intrare.

140. *Et Gaetulus orix*: Oryx animal minus quam bubalus, quem Mauri uncem vocant, cuius pellis ad cetras proficit, scuta Maurorum minora.

141. *ulmea coena*: quia lanionum codices maxime ex ulmis sunt omnes.

142. *Nec frustum*: Hoc est, quod vult dicere. Infertor noster furtum facere ignorat, neque aut capreae carnis particulam aut alicuius avis subtrahens; nec aliud novit rapere, nisi ofellam, quod didicit.

145. *paucis assibus*: vili emptos.

146. *incultus puer p. at. a.*: Bene poeta ostendit vestitum puerum, non tamen ornatum.

147. *non a m. petitus*: quales vendunt care manciparii.

148. *posce Latine*: non Graece, quia nescit.

149. *Idem habitus cunctis*: id est, pueris similes vestes. *tonsi rectique*: non comati.

150. *pexi*: deducti pectine capilli.

151. *Pastoris duri*: Duobus his generibus poeta convivium deformat, quod rusticos dicit ministrare pueros.

152. *Suspirat*: quia diu abest a parentibus, tristis est.

153. *desiderat hoedos*: ut pastoris filius.

154. *Ingenui vultus*: modesti, bene nati.

155. *quos ardens purpura vestit*: qui praetextati sunt. *ardens purpura* pro fulgens. Ut Virgilius [1]): *Tyrioque ardebat murice laena*.

156. *Ne pupillares*: id est, quales habent hi, qui patres non habent, scilicet tumentes in licentia pueritiae; sed castus est.

158. *inguina gutto*: maiorem penem.

159. *Hic tibi vina*: talis puer tibi erit pincerna.

160. *A quibus ipse venit*: de eadem villa vinum, unde et minister est.

162. *Fors. ut Gatidana*: id est, speras forsitan, quod incipiant saltare delicatae ac pulchrae puellae Syriae; quoniam de Syris et Afris Gadis condita est. Nunc, inquit,

---

1) *Virgilius*: Aen. IV, 262.

expectas apud me pantomimas aut lyristrias de Gadibus, quod lasciviant. Martialis [1]): *Ita ne Gadibus inprobis puellae Vibrabunt sine fine prurientes Lascivos docili tremore lumbos.*

163. *Incipiant prurire choro*: quae suo motu faciunt barbatos pati pruriginem.

167. *magis ille extenditur*: ad Venerem, illis saltantibus.

168. *urina movetur*: irritata scilicet clunibus saltantium puellarum.

169. *audiat ille*: res aut luxurias. *

170. *Testarum crepitus*: testis nam antea percutiebant saltantibus pantomimis quidam huc non erat ut mesocori percuterent manibus.

172. *Vocibus obscoenis*: divites cantilenis turpibus ac tam obscoenis, ut illis meretrices abstineant.

173. *Qui Lacedaemonium pytismate lub. orb.*: qui expuit supra marmor Lacedaemonium, quo stratum est pavimentum, ut leve sit, ut saltantibus puellis nihil impediat.

174. *Namque ibi fortunae veniam damus*: divitibus, quasi liceat illis peccare.

175. *Haec eadem illi*: id est, si alea luserit pauper aut adulterium commiserit, damnandus est; si dives horum aliquid fecerit, iocosus appellatur.

178. *Conditor Iliados*: Virgilii sive Homeri versus. *

180. *qua voce*: * quid interest, utrum * bona, an mala.

184. *nec prima si luce egressa*: Mire nec ipse rei pepercit poeta. Ne uxor tibi bilem contrahat, si tarde regreditur, quae a prima luce processerat, et ita regressa, ut se prodat signis quibusdam concubuisse cum moecho. Solent enim aures et vultus sub ora eis rubere.

186. *Numida suspectis r. m. r.*: Terentius [2]): *Postquam*

---

1) *Martialis*: V, 120.

2) *Terentius*: Eunuch. IV, 3, 3.

ludificatus est virginem, vestem scidit. Vexata igitur a moecho, qui cum ea concubuit.

190. *ingratos a. o. p. sodales*: nam referentes tibi gratiam, qui fortunam sequuntur et amicitiam pro suis commodis contemnunt. *

191. *Interea Megalesiacae*: hoc ideo, quia Megalesia circenses ante solem prope edebantur.

192. *Idaeum solemne*: de Ida, Matre deum.

193. *Praeda caballorum*: pompa. Quoniam circensibus illis, quos praetores edunt, unus est missus, qui hordearius dicitur: ideo *praeda caballorum*, quia hordeum pro illo die aurigae tollunt equorum. Aut ideo *praeda* dixit, quoniam multi equi frangebantur iisdem circensibus.

196. *eventum viridis q. c. panni*: id est, prasini ex clamore magno colligo victoriam.

197. *Nam si deficeret*: id est, si vinceretur prasinus, aut si hoc spectaculum deficeret, ut non essent circenses, sic tristem Urbem videres, ut si esset bello victa.

198. *veluti Cannarum in pulvere*: locus in Apulia, ubi Romani ab Hannibale sunt victi. *victis Consulibus*: Varronem Terentium dicit et Paulum, quorum Paulus semet occidit, Varro autem fugit; cui triumphus decretus est, quia non penitus desperavit.

199. *Spectent iuvenes*: iuvenibus spectacula concede, qui propter certamina sponsiones ponunt, et delectat eos iuxta puellas spectare. Quia antiquitus solebant mulieres cum viris omnibus interesse spectaculis indifferenter.

204. *Iam nunc in balnea*: Bene hisdem poeta verbis verecundiam expressit.

205. *solida hora s.*: una integra hora usque ad sextam.

207. *quia sunt talis quoque taedia vitae*: ut saepius idem facias. Quicquid fit rariter, magis delectat.

SATIRA XII.

DE REDITU CATULLI.

3. *Reginae ducimus agnum*: Iunoni, alii Fortunae; et *ducimus*, ad sacrificium, caedendum ad aram.

4. *pugnanti Gorgone Maura*: Minervae similis agna; et *Maura*, quoniam in Mauritania iuxta Atlantem a Perseo est occisa Gorgon Medusa.

5. *petulans quatit hostia funem*: id est, iuvencus, qui funem, quo ligatus est, rumpit.

6. *frontemque coruscat*: movet, sicut telum, quod coruscat.

8. *quem iam pudet ubera matris*: lac sugere.

9. *qui vexat*: ferus indomitus, maturus ad sacrificium. Ut Virgilius [1]): *atque irasci in cornua discit Arboris innixus trunco.*

10. *similisque affectibus esset*: voto, voluntati aequalis.

11. *Pinguior Hispulla*: matrona pinguis fuit.

12. *nec finitima n. i. herba*: non in his partibus, sed de peregrinis.

13. *ostendens Clitumni pas. s.*: fluvius, qui Trevis, civitatem Flaminiae, interfluit.

14. *et a grandi c. f. ministro*: sacerdoti, aut qui sacrificia occidunt ministri.

16. *Nuper et*: Catulli, qui prope naufragio perierat.

17. *fulminis ictus*: tempestates.

19. *subitusque antemnas i. ignis*: fulmen impulit antemnas cum velis.

23. *si quando poetica surgit*: id est, tales tempestates contingunt navigantibus, quales fingere solent poetae, magnae.

---

1) *Virgilius*: Georg. III, 232.

25. *caetera sortis Eiusdem*: id est, naufragii.

27. *Et quam votiva*: quam naufragio liberati ponunt. Antiquitus enim solebant, qui naufragio liberati essent, pro voto pingere tabellas et in templo Isidis ponere.

28.* *Pictores quis n. ab Iside p.*: quod in templis figendas tabellas pingunt.

30. *Cum plenus*: plena navis ex unda.*

31. *Alternum puppis*: latus dabat navis, et arbore coacta.

33. *Rectoris*: gubernatoris. *decidere iactu*: de periculo et de vita coepit pacisci cum ventis, et iacturam mercium facere.

34. *imitatus castora*: castorem, bebrum dicit, qui cum viderit se obsideri, et non posse evadere, testiculos suos morsu avulsos proiicit. Intelligit enim ob hanc rem se capi; quia ad medicamina valde sunt necessarii.

37. *Fundite quae mea sunt*: proiicite in mare res meas.

39. *Maecenatib. aptam*: id est, nobilibus aptum.*

42. *et Baeticus adiuvat aer*: id est, Spaniae Baeticae.

44. *Parthenio factas*: celatoris nomen. *urnae cratera capacem*: grandem scilicet, qui urnam posset capere.

45. *Et dig. s. Pholo vel coniuge Fusci*: uno de Centauris, vel uxore Fusci, quae ebriosa fuit.

46. *Adde et bascaudas*: vasa, ubi calices lavabantur, et cacabus.

47. *pallidus emptor Olynthi*: Philippus, pater Alexandri Magni, cui Olynthum Macedoniae civitatem Lasthenes et Euthycrates prodiderunt; qui cum a Philippo proditores se nuncupari saepe audissent, vitam laqueo finierunt.

48. *quis audet*: qui alter aut in qua regione mundi invenitur, qui salutem pecuniae praeferat.*

51. *Sed vitio caeci*: id est, multi sunt, qui ob hanc causam patrimonia colligunt, tantum ut habeant, non ut tamen utantur, sed avaritiae satisfaciant.

53. *Tunc adversis*: absolute, quod adversa sint naufragantium fata.

54. *Recidit ut m. f.*: res pervenit ad hoc, ut arborem succideret, et per hoc breviorem faceret. *ac se Explicat*: Sensus hic est. Ultima praesidia angustum discrimen habent, post eiectionem rerum omnium, ut facias navem minorem. Fit autem minor navis, sublata arbore, id est, levis.

57. *I nunc*: castigatio ab exemplorum eventu.

58. *digitis a morte*: cum inter te et mortem quatuor sit digitorum distantia.

59. *si sit latissima taeda*: id est, navis de pinu. Pro qualibet posuit materia. Ut: *Pinea silva mihi* [1]).

60. *Mox cum reticul. et pane*: quod nautae sibi scilicet adsumptum viaticum ponunt.

61. *Aspice sumendas*: inter sitarchiam et securem necessariam putato ad navem vehendam.

62. *Sed postquam iacuit pl. mare*: tranquillum factum est *mare*, et fatum vectoris superavit ventum et mare.

64. *Parcae m. benignae*: fata mitiora.

65. *et staminis albi Lanificae*: non mortem minitantia.

67. *Ventus adest*: ventus prosperus.

68. *Vestibus extentis*: funibus, aut *vestibus* velis accipe, aut quod dicunt artemonem.

69. *Velo prora suo*: id est, artemone solo velificaverunt.

71. *Atque novercali sedes*: Albam Longam significat, quam condidit Iulus Ascanius, concessa novercae sui nominis civitate, id est, Lavinio.

72. *cui candida nomen Scrofa*: montes Albanenses.

73. *miserabile sumen*: aut *mirabile*, quia triginta fetus habuit, aut *miserabile*, quod miseratum sit Phrygibus.

74. *Et numquam visis*: nunquam inventa cum triginta mamillis.

75. *inclusa per aequora moles*: portum Augusti dicit, sive Traiani.

---

1) *Virgilius*: Aen. IX, 85.

76. *porrectaque brachia rursum*: quia Traianus portum Augusti restauravit in melius, et interius tutiorem sui nominis fecit.

77. *Quae pelago currunt*: intrant mare et admittunt terram solidam.

78. *Non sic igitur mirabere*: id est, non sunt ita mirandi portus naturales, quam qui manu fiant.

79. *trunca puppe magister*: truncata nave.

82. *Garrula securi*: quia libenter frequentius narrant tempestatem perpessi, postquam devenerunt in portus securi.

84. *Sertaque delubris*: coronas immolatis hostiis.

85. *Ac molles ornate focos*: molles focos deorum dicit, qui de ture facti sunt.

86. *et sacro q. r. rite perato*: sacrificio completo.

88. *Accipiunt fr. s. n. cera*: incerata signa deorum.

90. *atque omnes violae i. colores*: Violae nam multorum sunt colorum, purpureae, albae, aureae.

91. *longos erexit ianua ramos*: coronatae ianuae lauro.

92. *operantur f. l.*: sacrificant, ut Virgilius [1]): *laetis operatus in herbis.*

94. *tot pono altaria*: sacrificia. Id est, ne me putes hac humanitate haereditatem adpetere. Tres habet filios.

95. *Libet expectare*: mirum est nam, ut amico filios habenti aliquis amicorum tam impensius obsequatur, cum haec pro haereditate captanda fieri soleant.

97. *coturnix Nulla*: Ironiam ad sterilitatem retulit. occiditur pro patre febricitante, non, ut dicam, pro amico paupere.

98. *Sentire calorem*: aegrotare.

100. *Legitime fixis*: id est, devotis precibus impletur.

101. *existunt qui promittant hecatombem*: Hecatombem promittunt, ut moriantur illi, a quibus se heredes scribi

---

1) *Virgilius*: Georg. I, 339.

poscunt. Alii vero comperto hoc, quod pro ipsis vota faciunt, heredes eos scribunt.

102. *nec venales elephanti*: quos immolent.

103. *sub n. sidere*: in urbe Roma non iuvenitur. *

104. *sed furva gente*: nigra, de India.

105. *Arboribus Rut.*: apud Lavinium, id est, in Hetruria.

106. *nulli servire p.*: nisi regi.

107. *si quidem Tyrio*: Et ipse [1]) dicit: *Cum Gaetula ducem portaret bellua luscum.*

108. *regique Molosso*: Pyrrho Epirotarum regi, qui pro Tarentinis adversum Romanos bis pugnavit, et victus bis exutus est castris. Ex cuius nomine est Pyrrhica. Et ipse elephantis vectus est per triumphum.

109. *ac dorso ferre cohortes*: elephantis nam pugnabant.

111. *Nulla igitur mora per Novium*: id est, nulla mora erit heredipetis, si etiam hoc genus emere liceat et immolare, quin et ipsud faciant.

113. *Et cadat ante Lares*: ante aras deorum Penatium.

115. *Alter enim si concedas*: id est, etiam aliquanti de his, si liceret, de servis sacrificium facerent.

118. *et si qua est nubilis illi*: etiam filiam virginem devovet ad sacrificium, quamvis sciat, non eam posse eripi a Diana, ut Ifigeniam.

124. *Post meritum sane*: post Ifigeniam immolatam non verbo facit heredem, sed vero.

126. *victis rivalibus*: aemulis hereditatem captantibus.

127. *iugulata Mycenis*: filia Agamemnonis, veluti filia captatoris. Ifigenia, ironia.

128. *vel Nestora totum*: tribus seculis.

129. *quantum rapuit Nero*: proscribendo. *montibus aurum Exaequet*: id est, in patrimonio habendo.

---

1) *Ipse*: Sat. X, 158.

SATIRA XIII.

1. *Exemplo*: Ita male virtutem esse ait, ut displiceat crimen ipsi, qui male commisit.

2. *quod se Iud. n. n. abs*: id est, haec est magna poena, quod si qui peccaverit, suo iudicio damnatur.* :

4. *vicerit urna*: nihil prodest corrupisse iudicem, vel subposuisse pro sorte.

6. *Sed nec Tam tenuis*: id est, aequo animo hoc ferre debes, quia nec tantum pauper es, ut te damni, quod contigit, affligat pondus, nec tibi soli hoc contigit, sed iam apud homines vetus est haec caussa.

11. *Ponamus nimios g.*: pone, quod debeas tristari, sed ita ut oportet, secundum damnum.

14. *spumantibus ardens*: flagrantibus, iratis. *Tu nunc minima damna vix toleras, cum virorum sit forti animo etiam magna perferre.*

16. *stupet haec qui iam*: Interrogative ipsum increpat, haec seni nova videri non debent.

18. *An nihil in mel.*: tanti temporis usus tibi non proficit.

21. *Hos quoque felices*: pro sapientes posuit.

22. *Nec iactare iugum*: translative; qui non reluctantur contra necessitatem.

23. *Quae tam festa dies*: quid tam sacrum celebratur, ut non quotidie delinquant inficiantes homines.

25. *gladio vel pyxide*: veneno vel gladio.

26. *numerus vix est tot quot Thebar. portae*: septem portas habent Thebae, et septem ostia Nilus, et septem sunt Sapientes.

30. *et a nullo p. n. metallo*: quemadmodum priora tempora habuerunt nomina, id est, aurea, argentea et caetera.

31. *Nos hominum divumque fidem*: cum scelerata secula,

nos hunc errorem patimur, ut hominum ac deorum fidem imploremus.

32. *Quanto Faesidium*: ut ostendat, Faesidium conductos tunc habuisse, qui eum agentem caussas magna voce laudarent.

33. *Dic senior bulla dignissime*: inrisive, quasi iterum puer. Hoc ex proverbio Graeco *παῖδες δὶς γέροντες*. Caeterum bullae qui usus, aut a quo inventus fuerit, supra dictum est.

34. *nescis Quem tua*: id est, ignoras, quas voluptates populo praestas, cum perfidiam miraris.

37. *araeque rubenti*: sanguinolentae, vel ex igni.

38. *priusquam Sumeret agrestem*: id est, temporibus, quibus Saturnus regnum tenuit, fidem homines exhibebant.

42. *Nulla super nubes*: inrisiones, per immutationes formarum.

43. *Nec puer Iliacus*: Ganymedes. *Herculis uxor*: Hebem dicit.

44. *etiam siccato nectare tergens*: ut bene placeat etiam exsiccato feculento, aut liquefacto.

46. *Prandebat sibi quisque deus*: non in convivio communi, sed privatim.

48. *miserum urguebant Atlanta*: quia dicunt eum coelum sustinere, ut Virgilius [1]): *Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.*

49. *Nondum sortitus t. p.*: id est, cum adhuc nec Iuppiter regnum coeleste teneret, nec Neptunus mare, nec Pluto inferna cum Proserpina.

51. *Nec rota*: *rota*, in qua Ixion dicitur volvi; *saxum*, quod Sisyphus volvit; *vultur*, qui iecur Tityi comedit.

52. *hilares sine regibus umbrae*: nam non erat opus iudicibus, dum scelera nulla procederent.

53. *Improbitas illo*: mirabile fuit, si quis illo tempore improbus inveniretur.

---

1) *Virgilius*: Aen. IV, 482.

57. *Plura domi fraga*: quamvis ditior esset. Virgilius [1]): *et humi nascentia fraga.* Divitiae autem in fragis et in glande taxabantur.

58. *Tam venera. erat*: Ita, inquit, videbatur venerabilis aetas, ut pueris maioribus se annis quatuor deferri ut esset prima lanugo, id est, iuvenes deferens senibus adfectarent.

61. *cum tota aerugine follem*: Aeris vitium aerugo dicitur, ferri rubigo.

62. *Prodigiosa fides*: quasi monstro similis.

63. *Quaeque coronata*: quae residem foedes sacrificiis lustrari debet.

65. *Hoc monstrum puero*: id est, hoc tempore vir bonus monstris conferendus est.

66. *et foetae comparo mulae*: monstris. Prodigia, quae bellum civile Caesaris et Pompeii praecesserunt.

70. *Gurgitibus miris*: aut lacteis, aut sanguineis.

71. *Intercepta decem*: Apostropham facit ad illum, cuius ob reditum sacrificavit.

73. *Hoc arcana modo*: perdidit commendatam.

75. *Tam facile et primum est*: id est, facilius contemnuntur dii, si hominis testimonium intersit, qui in iudicio dicat, Vidi.

77. *quae sit ficti c. v.*: pro, quanta sit. Ut Terentius [2]): *Num eius vultus pudoris signum usquam indicat.* *vultus*: negantis vultus.

78. *Tarpeiaque fulmina*: Capitolini Iovis.

80. *Per cal. venatr.*: κατὰ κοινοῦ. Per omnes deos iurat.

83. *armamentaria caeli*: in quibus arma posita sunt.

84. *Comedam, inquit, f. n.*: id est, per filios suos iurat, Sic non eos comedat.

---

1) *Virgilius*: Eclog. III, 92.

2) *Terentius*: Andr. V, 3, 7.

85. *Pharioque m. aceto*: Aegyptio, forti.

86. *Sunt in fort.*: Dicit, quam ob causam homines periurent, cum dicant, quod non diis agimur, sed fortunae casibus. Quid ergo dii nocebunt laesi, si fortuna disponente vita hominum regitur?

88. *Natura volvente*: ut natura disposuit.

89. *Atque ideo intrepidi*: sine ullo timore peierant.

90. *Est alius metuens*: qui credit, delictum posse puniri voluntate deorum, sed veniam sperat.

93. *feriat mea lumina*: id est, coecum etiam faciat.

94. *Dummodo vel caecus*: id est, si pro ingenti pretio ferenda est coecitas; dummodo magnum sit, quod negetur.

96. *Sunt tanti*: melius est aegrotare cum divitiis, quam esse sanum pauperem.

97. *Nec dubitet Ladas*: Ladas fuit inter nobilissimos cursores Olympico certamine, cui aemulus Talaris eandem gloriae palmam tulit, sed apud Elidem coronatus est. Sensus autem ex persona periuri est, Melius est cum uno pede currere, quam pauperem vivere, etsi hoc sis in cursu, quod Ladas. *Ladas*: Ladas nomen est cuiusdam pauperrimi cursoris. *

98. *Quid enim vel. g. p.*: quid praestat coronari in Elide, ubi athletae habent Olympiacum certamen?

100. *Ut sit magna tamen*: Concedo, inquit, ut delictum puniant dii, tarde tamen.

103. *Fortasse experiar*: * Peiurus dicit haec. * Fortasse, inquit, placabile numen, quod omnia diversa sunt facta, usque adeo, ut in eodem crimine deprehensi, alter crucem mereatur, alter imperium.

105. *hic diadema*: ut Romulus pro commisso scelere non dedit poenas, sed imperium adeptus est.

107. *sacra ad delubra vocantem*: vocantem eum ad templum, ut iuret, * praecedit. *

109. *Nam cum magna malae*: Nam cum, inquit, homines, qui malam caussam habent, id est, qui denegant alie-

num, visa fuerit inproba contentio, audacia creditur innocens, ut mimum urbani scurrae agere ac inrisione audaciae videatur. Talis est enim mimus, ubi servus fugitivus dominum suum trahit. Catullus mimographus fuit.

112. *Tum miser exclamas*: praecones Graecorum, quia antiqui tubas non habebant.

113. *quan. gra. Hom.*: Mars cum plagatus est a Diomede.

115. *vel marmoreus vel aeneus*: cuius statua vel marmorea vel aenea sit.

117. *albaq. porci Omenta*: ad quid sacrificamus, si vicem non redditis?

119. *statuamque Vagelli*: Ut video, inquit, inter vos et Vagellium, qui, ut vos, stultissimus accepit statuam.

120. *Accipe quae contra*: quae valeat adferre solacia Iuvenalis tibi.

121. *Et qui nec Cynicos*: Dicit Cynicorum et Stoicorum dogma convenire, tantum veste distare. Nam Cynica mater heresis Stoicae. Cynici absque pallio, exerto brachio.

123. *exigui laetum plantarib. horti*: qui in hortis de otio et voluptate disputat.

124. *Curentur dubii*: Per allegoriam sufficere se dicit in solatium amico, damnum merenti.

129. *claudenda est ianua*: quasi lugentes ianuas claudunt, cum damnum pertulerunt.

131. *Nemo dolorem Fingit*: sed vere plangunt damna.

133. *humore coacto*: lacrimis extortis. Terentius [1]): *una hercle falsa lacrimula.* Virgilius [2]): *Mens immota manet, lacrimae volvuntur inanes.*

136. *Si decies lectis*: si saepius lectis cautionibus, negant suas esse manus.

---

1) *Terentius*: Eun. I, 1, 22.

2) *Virgilius*: Aen. IV, 449.

138. *gemmaque princeps*: pretiosa, signum suum.

139. *loc. quae cust. eburnis*: quia in locellis eburneis geminas solent reponere.

141. *gallinae fil. albae*: Proverbium vulgare; id est, nobilis.

142. *Nos viles pulli*: Virgilius [1]: *Nos animae viles.*

143. *et med. bile fer.*: damnum, quod debeas contemnere.

144. *maiora ad crimina confer*: hunc, qui depositum tibi negavit, compara.

146. *primos c. ianua*: sulphuratas esse ianuas ab incendio.

147. *qui tollunt grandia templi*: qui templum spoliant.

148. *Pocula ador. rob.*: antiquitatis merito adorandae.

151. *Radat inaurati femur*: Dropacistas dicit, qui clam de inauratis statuis aurum tollunt.

153. *An dubitet solitus*: id est, qui non dubitet etiam ipsius Iovis statuam conflare.

154. *merca. ven.*: Dubium, venditorem an emptorem dicit.

155. *Et deducendum corio bovis in mare*: Culleo nam insui consueverant, qui haec scelera tentarent, id est, parricidae, cum simia et serpente, et in mare mitti. *innoxia*: pro innocens.

157. *quae custos Gallicus*: nomen praefecti vigilum, qui institutus est, postquam Galli Capitolium *paene* coeperunt.

160. *Sufficit una domus*: Gallici scilicet domus, ubi haec omnia audiuntur cottidie.

162. *Quis tumidum guttur*: Quis potest, inquit, facta scelera fuisse in locis, ubi omnes tales sunt, mirari? tanquam si in Alpibus gutturosos homines admireris, ubi tales sunt plurimi scilicet; nam lata et inflata colla habent.

---

1) *Virgilius*: Aen. XI, 372.

164. *Caerula quis stupuit G. l. fl. Caes.*: glaucos oculos et capillos rubeos.

166. *Nempe quod*: ideo non est mirum.

167. *Ad subitas Thracum volucres*: ad fluvium Strymonem.

168. *Pygmaeus parvis*: aut quis debet mirari Pygmaeos cum gruibus pugnantes, quorum hoc est studium semper?

169. *Mox impar hosti*: quia parvi sunt corpore.

171. *risu q.*: id est, rideres, si hoc apud nos possis videre; at quia omnes tales sunt, nemo ibi de alio ridere potest.

174. *Nullane periuri capitis*: Anthypophora, quasi obiectio; Ergo nulla poena manet eos, qui peierant?

175. *Abreptum crede hunc gr. c.*: id est, puta quam maioribus poenis afficitur. quanquam animus tuus exposcit quid tibi prodest, nec damnum ex hac re resarciri potest. puta igitur hunc continuo vinclis ligare.

178. *Sed corpore trunco*: id est, etiamsi decolletur, nihil inde lucri habebis, nisi invidiosam defensionem. Sed dicis, Bona res est vindicari.

181. *Nempe hoc indocti*: imperiti, qui nullis caussis poenas exposcunt, * interdum autem levibus. * Sapientis est damnum qualecunque usque ad iracundiam ut procedat, non etiam ad vindictam debere reddi poenam.

184. *Chrysippus non dicet idem*: non hoc praecipit philosophia, ut rependantur malis vices. * Nam Chrysippus et Thales filosophi fuerunt. *

186. *Qui p. ac.*: Socrates, philosophus Atheniensis, cum argueretur proditionis, receptus est in carcere cum accusatore; qui cum sibi daretur venenum, accusatori petenti noluit dare.

187. *Plurima felix*: generaliter; quicunque felix, id est, doctus et sapiens. Potior ergo est sapientia, quam felicitas, siquidem illa paulatim amittit, haec statim purgat.

188. *atque exuit omnes*: sapientia.

189. *quippe minuti*: feminei dicit.

192. *Nemo magis g.*: quia vincitur animus sexus iracundia.

194. *Mens habet attonitos et*: id est, conscientia sua poenis et verberibus afficit.

197. *Quas et Caedicius*: Caeditium aulicum Neronis crudelissimum fuisse vult intelligi satellitem.

199. *Spartano*: Glaucum dicit genere Spartanum, qui creditum fidei suae thensaurum a Milesio quodam, repetentibus hanc pecuniam heredibus filiis eiusdem Milesii, reddere dubitavit. Cum Apollinem consuluisset, quid sibi suaderet, fraudaretne periurio, quod ad sacramentum vocaretur, an sine sacramento fidei commissum redderet: cui deus respondit, poenas soluturum hoc ipso, quod dubitavit creditum restituere. Quo responso Glaucus territus, paravit se citra sacramentum reddere. Haec narratio in VII. historia Herodoti est. Reddidit ergo Glaucus, quia timuit, non quia voluit, unde poenas dignas sceleris non effugit. Hoc est apud Herodotum [1]: *ὄμνυ· ἐπεὶ θανατός γε καὶ εὔορκον μένει ἄνδρα.*

201. *Depositum retinere*: non reddere fideicommissum, sed peierare.

204. *Redd. er. me. n. mor.*: timens poenam, non pro voluntate.

205. *Vocem adyti*: quae illi Apollo fuerat minitatus.

206. *cum prole domoque*: cum omnibus suis vel propinquis eradicatus est.

208. *Has patitur poenas*: Qui, inquit, animo scelus cogitat, tanquam commiserit, sic eum conscientia sua torquet.

209. *Nam scelus*: id est, qui cogitaverit scelus admittere, reus est, tamquam si cogitata perpetravit.

211. *nec men. temp. cess.*: nec edendi tempore concedit.

213. *sed v. misellus*: cum apud conscientiam suam cogitat de admisso scelere.

---

1) *Herodotum*: VI, 86.

216. *velut acri d. Falerno*: aceto Falerno.

219. *et violati numinis aras*: ubi peieravit.

220. *sudorib. urguet*: ex perturbatione somnii.

221. *tua s. et m. im.*: tu illi es pro sacris, cui fraudem fecit.

222. *cogitque fateri*: quod debetur reddat.

223. *Hi sunt qui trepid.*: Physici nam adserunt, ex conflictu ventorum vel nubium tonitrua vel fulgura fieri. Nam ex nimio flatu vel certamine ventorum nubes inter se conlisae tonitrua et coruscos faciunt, ac veluti saxa inter se conlisa ignem excutiunt.

226. *Iratus cadat*: propter sua commissa.

228. *Proxima temp.*: id est, si praeterita tempestas sibi non nocuerit, tum futurae metu torquetur.*

230. *Si coepere pati*: si coeperit aegrotare.

231. *Infesto c. a numine*: irato, laeso numine.

232. *Pecudem spondere sacello*: sacrificia promittere pro sanitate recuperanda non audet, tanquam reus.

235. *vel quae non dignior hostia vita*: magis hostia, quam ipse, vivere meruit.

237. *Cum scelus admittunt*: cum ad perpetrandum scelus venerint, in eadem constantia perstant, ut sperent etiam illicita debere omnimodo fieri; peracto facinore, ex ipsa conscientia animi eorum ab illa deiiciuntur constantia.

239. *tamen ad mores natura recurrit*: sentiunt se malefacere, et tamen faciunt. Nam ipsam consuetudinem verterunt in naturam.

243. *Quisnam hominum est*: quis est hominum, qui cum semel peccaverit, non hoc frequenter desideret?

244. *Dabit in laqueum*: ligabitur in carcerem.

245. *carceris uncum*: Unco nam ferreo trahebantur a populo, qui merebantur sic puniri.

247. *Exulibus magnis*: κατὰ κοινοῦ, id est, patietur exilium, in insulam exilio deputabitur.

249. *Nec surdum nec Tiresiam*: dicturus es, et potentes et exaudibiles esse deos.

SATIRA XIV.

DE INSTITUTIONIBUS.

1. *Plurima sunt*: contraria mala institutio in naturam vertit. Horatius [1]): *utcunque dedecere mores, Dedecorant bene nata culpae.*

3. *pueris, traduntque*: filiis, ut Virgilius [2]): *Tuque puerque tuus.*

5. *Bullatus*: adhuc parvulus. *parvoque eadem movet arma fritillo*: Fritillus pyxis cornea, qui fimus dicitur Graece. Fritinnire aves dicuntur strepere aut sonare. Apud antiquos in cornu mittebant tesseras, moventesque fundebant. Aut fritillum pyrgum dixit.

9. *Mergere f. d. n. parente*: id est, a patre didicit luxuriosus et gulosus.

10. *Et cana*: patris, id est vetula.

12. *Barbatos licet*: philosophum licet ad erudiendum adhibeas, semel imbutum luxuria patris non posse revocari.

15. *Mitem animum*: interrogative pronunciari potest, sed melius ironicos. Pro ironia dictus est sensus: Mitem animum praecepit Rutilius. An putas eum saevire, qui gaudet plagarum strepitu? Ironicos, et *mores modicis erroribus aequos*, quia nemo sine vitio est, id est tolerabilius indulgentem.

---

1) *Horatius*: Od. IV, 4, 35.

2) *Virgilius*: Aen. IV, 94.

19. *et nullam Sirena flagellis*: dulciorem esse flagellorum strepitum * ei *, quam cantum Sirenarum.

20. *Antiphates trep. La. ac Polyph.*: carnifex potius et latro domus suae, quam dominus. Laestrygonum rex Antiphates, et Polyphemus Cyclops, qui homines comedebant.

22. *duo propter lintea*: id est, sic servus cruciatur propter duo sabana.

23. *Quid suadet iuveni*: paterna crudelitate. *inscripta ergastula*: quoniam, qui ibi includuntur, inscripti sunt.

24. *adficiunt*: laetum faciunt, delectant.

25. *Exspectas ut non sit ad. L. Filia*: speras, quod filia meretricis casta possit esse, quae non potest nomina moechorum matris suae continuo ac uno spiritu dicere?

29. *ceras nunc hac dictante*: dictante, ut haec disceret. iocunde, pro aetate.

30. *ferre cinaedis*: internunciis, ministris, qui matris suae fuerunt.

33. *Unus et alter*: pater et avus.

34. *Forsitan haec sperant*: id est, turpia.

35. *praecord. Titan*: Prometheus, filius Iapeti, qui fuit unus e Titanibus.

36. *fugienda patrum vestigia*: iuvenibus scilicet; id est, multi filii inviti facta parentum sequuntur.

40. *quoniam dociles imitandis*: id est, ad mala imitanda faciles sumus. Ut Terentius [1]: *Namque ut est hominum ingenium proclive ad libidinem, Dehinc quaestum accepit.*

41. *et Catilinam Quocunque in p.*: malum hominem ubique invenias.

43. *Bruti nec avunculus unquam*: bonus, ut Cato Uticensis philosophus.

45. *Intra quae pater est*: ubi filios habes. *puellae Lenonum*: meretrices.

---

1) *Terentius*: Andr. I, 1, 50.

49. *Sed peccaturo obstet tibi*: impediat te, ne, cum viderit haec, imitetur.

50. *Censoris fecerit ira*: ut a censore corrigi mereatur aut damnari, tamen filius patri non solum corpore sed et moribus similavit.

53. *Omnia deterius*: deterius quam te, aut eo deterius quam te magistro.

54. *Corripies*: filium turpiter agentem.

56. *Unde tibi frontem*: Terentius [1]): *Quo ore illum obiurgabis, dic mihi.*

58. *Iampridem cap. h. v. cucurbita*: a medicis qui sanus non est. *cucurbita, σιχύα.*

60. *Verre pavimentum*: hoc dicis tuis.

61. *Arida cum tota*: mundentur parietes, vel camarae.

62. *Hic laeve argentum*: anaglyfa sigillis. Virgilius [2]): *et aspera signis.*

63. *Vox domini furit*: Virgilius [3]): *urguet praesentia Turni.*

67. *Semodio scobis*: non πρίσματος.

68. *Illud non agitas*: illud non respicis, quemadmodum filio castam domum exhibeas.

71. *Si facis ut pat. s. id.*: civem bonum, si eum ita institueris, ut sit utilis patriae.

76. *Illi e. s. q. animalia p.*: quae a parentibus didicerunt.

77. *Vultur iumento*: Exemplis docet, hoc servare filios, quod a parentibus acceperunt.

78. *partemque cadaveris*: hominum. Nam antiqui crucibus figebant.

79. *Hic est ergo cibus*: quem parentes tradiderunt.

80. *cum iam facit arb. n.*: cum coeperit volare.

---

1) *Terentius*: Phorm. V, 8, 53.

2) *Virgilius*: Aen. V, 267.

3) *Virgilius*: Aen. IX, 73.

84. *festinat ad illam*: id est, ad venationem, unde nutrita est.

86. *Aedificator erat Cretonius*: cupidus fabricae.

87. *Litore Caietae*: in Campania Caieta.

90. *vincens For. atque Her. aedem*: Apud Praeneste et Fortunae et Herculis habent aedes; aut certe quod in Capitolio, post aedem Dianae et Iovis, secundam de miraculo operis habent gloriam Fortunae atque Herculis aedes. Fortunae apud Praeneste aedem pulcherrimam ferunt fuisse; Herculis enim aedem Tiburis dicit.

91. *Ut spado v. C. n. Posides*: Hic Posides spado, libertus Claudii Imperatoris, tantae gratiae et potentiae fuit, ut eum Claudius in Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donaverit, cohortibus quoque et alis provinciaeque Iudaeae praeposuerit; et lectica per Urbem vectandi, spectacula quoque publice edendi ius tribuit. Legitur in Suetonio [1]).

92. *imminuit rem*: minuit patrimonium fabricando. Secutus patrem scilicet, et quod remanserat de patrimonio, filius omne in aedificiis impendit.

97. *caeli numen ad.*: nulla contemplatione colentes.

98. *Nec distare putant*: tanquam humanam porcinam putant.

99. *praeputia ponunt*: id est, περιτομῇ.

102. *Tradidit a. q. v. Moyses*: sacerdos vel rex eius gentis aut ipsius quidem religionis inventor, cuius Cornelius etiam Tacitus [2]) meminit.

103. *Non monstrare vias*: id est, non confiteri religionis secreta.

104. *Quaesitum ad fontem*: ubi baptisantur. *deducere verpos*: Iudaeos, qui sine pellicula sunt.

---

1) *Suetonio*: Claud. c. 28.

2) *Tacitus*: Hist. V, 3. 4.

105. *Sed pater in caussa* : caussa huius metus pater est. *cui septima quaeque fuit lux* : quia semper sabbatis nihil faciunt.

109. *Fallit enim vitium* : saepius sub specie virtutis avaritia tegitur. Multi enim avaros tamquam frugi laudant, sperantes quod, frugalitate faciente, patrimonia sua custodiunt, et non sentiunt eos caussa avaritiae facere. Frugalitas quippe avaritiam contemnit et mediocritatem amat.

113. *Certa magis quam si* : tamquam ille, qui aut mala aut pellem auream servabat.

116. *quippe h. c. patrimonia Fabris*: fabris patrimoniorum, dum auram popularem captant et patrimonii opinione delectantur.

118. *Incude assidua*: metaphora a fabris ferrariis. quocumque casu. *ardente camino*: avaritia operante.

120. *Qui mir. opes*: qui patrimonio et divitiis gaudet. *sibi nulla exempla beati*: qualis Apollinis oraculo declaratus est felicissimus Aglaus Arcas, qui numquam patrium agellum excesserat, cum a deo quaereretur, quis fidem verae felicitatis implesset.

122. *Ire viam pergant*: perseverent in avaritia.

124. *et cogit minimas edis. s.*: eum sequi in avaritia, quae nullis satiatur divitiis.

126. *modio castigat iniquo*: prava mensura.

127. *neque enim omnia sustinet unquam*: id est, omnia sustinet. Duo negativa confirmativum faciunt.

131. *Alterius conchem aestivam*: id est, fabam coctam, quae illi remansit, in alium diem cum sardina servat. *cum parte lacerti*: genus piscis salsi.

133. *Filaque sectivi* : Bene *sectivi*, quia quando ponitur cultoribus hortorum, tunc secatur.

134. *aliquis de ponte*: quia mendici in pontis itinere sedent.

135. *Sed quo divitias*: id est, ubi sunt divitiae, si non ipsis uteris?

137. *Ut locuples moriaris*: id est, cum egestate vitam tolerant, ut divites moriantur.

139. *Crescit amor nummi*: id est, quanto plus adduntur divitiae, tanto plus crescit avaritia.

140. *Ergo paratur Altera villa*: coemuntur plures possessiones, quia una non sufficit.

142. *Et proferre libet fines*: producere, protendere.

143. *Et melior vicina seges*: semper avaris res alienae meliores et ampliores videntur.

144. *et densa m. qui canet oliva*: hyperbole; id est, integrum montem oliveti comparas.

145. *si pretio dominus*: non consentit ad distrahendum. Id est, cum vicinum agrum non poterit pretio elicere, ita agit, ut cogatur vicinus vendere, non patiens importunitatem animalium, quae ille dimittit, ut segetes ipsius depascantur.

148. *quam tota novalia*: agros seminatos.

149. *falcibus actum*: metitum.

150. *Dicere vix possis*: numerare, quanti de huiusmodi se querantur. *

151. *Et quot venales iniuria*: molestia confinii potentis.

152. *quam foede bucina famae*: quam mala fama est avaris potentibus.

153. *Quid nocet haec*: mala fama, quae de me loquitur. Avaritiam dicit.

154. *Quam si me t.*: sine quaestu aliquo vilis est conlaudatio.

156. *Scilicet et morbis*: id est, si mediocriter possideas, quod tibi ad vitam sufficiat, omnibus rebus malis carebis et quietus eris. *debilitate carebis*: σχῆμα ὑπόνοια.

157. *Et luctum et curam*: mala vitiosa.

160. *Quantum sub Tatio*: si tantum possides solus, quantum populus Romanus possedit, Campum Martium.

162. *Proelia vel Pyrrhum*: Epirotarum regem Pyrrhum dicit. *gladios Molossos*: Epiroticos.

164. *Merces haec sang.*: deductis in colonia viris.

165. *Nullis visa u. m. m.*: id est, numquam visa sunt dona minora meritis, in duobus iugeribus. Id est, par merces laboribus visa est illis, quibus dabatur.

168. *unus Vernula tres domini*: Ante nam unum servum plures domini habebant, qui erant parvuli.

170. *A scrobe vel sulco*: qui colebant terram. Hoc nam dicit, alios in bello, alios terram colere.

171. *Amplior*: parabatur scilicet.

172. *Nunc modus hic agri*: Bene dixit, plus nunc possideri in horto, quam tunc in agro.

173. *Inde fere scelerum caussae*: ex institutione avaritiae, quae interficit veneno aut ferro.

175. *saeva cupido*: avaritia.

177. *Et cito vult fieri*: per scelera scilicet. *Sed quae rever. legum*: exclamatio.

180. *et Hernicus olim*: Virgilius [1]): *Hernica saxa colunt.*

181. *Vestinusque*: oppidum est Italiae. *panem quaeramus aratro*: id est, hoc persuadebant, Hoc tantum ex labore quaeramus, quod nobis ad victum sufficiat; hoc enim et diis placet.

184. *Contingunt homini v. f. q.*: quia ante fraga et glandem homines comedebant.

185. *Nil vetitum fecisse*: is nam non vult ea, quae inlicita sunt, admittere, sed sua paupertate contentus esse.

186. *Per gl. perone tegi*: Virgilius [2]): *Crurum tegit altera pero.*

187. *ignotaque nobis*: quae a nobis ignota, alios inducit ad scelus.

189. *Haec illi veteres*: posteris suis dabant.

190. *supinum*: dormientem.

---

1) *Virgilius*: Aen. VII, 684.

2) *Virgilius*: Aen. VII, 690.

192. *perlege rubras*: rubricas iuris.

193. *aut vitem posce libello*: ut centurio fias, da libellos, id est, milita. Vitis nam insigne centurionum est, a Libero patre inventum, qui primus triumphavit et inventor vitis est.

194. *Sed caput intactum buxo*: Sensus hic est. Sic age, ut te sordidum pueri mirentur, et virtutem tuam imitentur, si vis centurio militare.

195. *miretur Laelius alas*: comes Laelius centurio, sub quo militabis, ut evertas casas et attegias Maurorum.

196. *Brigantum*: Gallorum.

197. *Ut locupletem aquilam*: ut signifer sis stipendiis emeritis, anno sexagesimo, quo stipendia deponebant sua.

199. *cornua ventrem*: si pavore cornuum aut lituorum venter tibi solvitur.

200. *vendere possis*: esto negotiator.

201. *Pluris dimidio*: plus media parte.

202. *abl. Tiberim ultra*: transportandae ultra Tiberim.

203. *Neu credas p.*: ne contemnas viliorem mercem, aut quae puteat, id est caria.

206. *atque ipso Iove digna*: id est, Iovis dictum est.

208. *vetulae p. r. assae*: assa nutrix dicitur, quae lac non praestat infantibus, sed solum diligentiam et munditiam adhibet. nutricula sicca vetusta infantibus monstrat.

209. *ante alfa et beta*: ante aetatem discendi.

213. *vinceris ut Aiax*: id est, ut illi in virtute parentes suos superaverunt, sic et iste te in avaritia.

214. *vicit Achilles*: vicit virtute. *

217. *admittere cultri*: id est, tondere barbam.

218. *summa Exigua*: ut in minima mercede avaritia exprimatur.

219. *Cer. tang. aramque*: ut periurus erit.

220. *Elatam iam c. nurum*: mortuam, quae cum dote sibi adferat mortem.

222. *Per somn. dig.*: id est, quae per somnum effocabitur propter dotem.

223. *brevior via conferet illi*: id est, homicidium.

224. *Nullus enim magni scel. lab.*: id est, in perpetrando scelere numquam difficultas est.

226. *Mentis caussa malae*: exordium sceleratae mentis tu es, qui iubes ei avaritiam sequi.

228. *Et laevo monitu*: subtili monitu. *prod. avaros*: sceleratos.

230. *Dat l. et t. eff. ha.*: auctoritatem et nequitiam permittit.

231. *quem si rev. sub. nescit*: Virgilius [1]): *Fertur equis auriga.*

232. *Et te contempto*: patre vel rectore. Qui iam fuerit deditus avaritiae, revocari non potest.

233. *Nemo sat. cr.*: nemo se putat satisfecisse, nisi amplius delinquant, quam non permittas, adeo plus peccare cupiunt.

235. *Cum dicis iuv.*: si reprehendas eum benefacientem, quid illi suadeas, nisi ut criminosus sit.

238. *quarum amor in te*: divitiarum et avaritiae tantum amoris habes, quam Decii habuerunt civitatis suae.

240. *Menoeceus*: qui pro civibus suis mortem elegerunt.

241. *Legiones d. an.*: Virgilius [2]): *satis inmanis dentibus hydri, Nec galeis densisque.*

243. *tamq. et tub. surr. una*: qui eos excitet ad proelium. Inridet Graecorum audaciam paratam in omni mendacio.

247. *tollet alumnus*: filius, allegoricos; hoc est, et in te malitiam cum scelere exercebit.

249. *Expectare colus*: calathos.

---

1) *Virgilius*: Georg. I, 514.

2) *Virgilius*: Georg. II, 141.

251. *Iam torquet iuvenem*: odiosus est filio. *cervina senectus*: quos usque ad nongentos annos vivere dicunt. Longivivax.

252. *Ocyus Archigenem*: medicum; nam pater, qui perniciosum filium habet, aeque debet timere saluti suae, sicut rex.

253. *si vis al. d. fic.*: id est, antidotum, quod veneno obstet.

256. *Monstro voluptatem*: nulla theatra tibi talem voluptatem dabunt, nullam promotionem dabit cuiquam, quod accipiet hic de tua pecunia.

258. *discrimine*: periculo.

260. *Fiscus*: pecunia sacculi. *et ad v. p. Castora n.*: ad templum Castoris.

261. *Ex quo Mars Ultor*: ex illo pecuniam amat, ex quo Mars a furibus spoliatus est. Antea solebant arcas aeratas facere, et ibi mittere pecuniam suam senatores, et sic in foro Martis ponere. Verum per noctem a furibus expoliatae sunt arcae, et coeperunt ex eo ad templum Castoris ponere. Ideo dicit *Mars Ultor galeam perdidit*.

262. *omnia Fl. Et Cer.*: ludos theatrales, qui in honorem dearum exhibentur.

264. *Tanto maiores*: negotia hominum maiores ludos habent, quam votiva sollemnitas.

266. *quique solet r. d. f.*: funambulus.

267. *Quam tu, Corycia*: Corycus civitas Isauriae; id est, negotiator qui omni tempore navigas.

269. *ac vilis s. merc. ol.*: opobalsamum, aut malabatrum foetidae alicuius mercis. ut ex sententia tali, tu foetide.

271. *et mun. Iovis a. lagenas*: Creticas, quia Iuppiter ibi nutritus est.

272. *Hic tam. ancipiti*: funambulus ex hac arte victum sibi comparat.

273. *brumamque fam.*: Horatius [1]: *Frigus, quo duramque famem depellere possit.*

---

1) *Horatius*: Sat. I, 2, 6.

274. *Illa reste cavet*: supra quam ambulat scilicet.

276. *plus h. est iam In p.*: id est, qui naufragium pertulerunt.

279. *sed longe Cal. rel.*: urnae similis mons; inde Calpe in extrema Spania.

280. *Audiet Her. st. g. solem*: Gaditano Oceano sol mergens stridet, ut si ferrum candens in aqua tinguas. Ultra Herculis columnas dicit ad mare mortuum, ultra quod navigare non conceditur. Nam sic subiungit: *Oceani monstra et iuvenes vidisse marinos.*

281. *ut tenso f. reverti*: ut pleno sacculo revertaris.

282. *tumidaque s. al.*: manticula, id est, mercibus.

283. *Oceani m. et iuv.*: Tritones et Nereides.

284. *Ille sororis*: furens Orestes; Ifigenia soror Orestis.

286. *Hic bove percusso*: Aiax, quia et ipse insanit.

287. *Aut Ithacum*: Ulixen. *Parcat tun. licet*: quamvis vestem non conscindit, tamen insanit.

291. *Concis. arg.*: in argenteolos sive nummos.

292. *Occurrunt nubes*: Ergo hoc dicit, non insanit.

294. *Nil fascia nigra*: nubes ducta per coelum.

295. *Aestivum tonat*: Naturaliter haec dicit negotiator.

297. *et zonam laeva*: in qua fert solidos.

299. *Quod Tagus et r. v. Pactolus*: fluvii, unus Spaniae, alter Asiae.

300. *Frigida sufficient*: uda aut nuda.

302. *et p. se temp. t.*: dum picturam naufragii sui portat in tabula, ferens casus sui historiam.

304. *misera est magni cust. c.*: misera est custodia magni patrimonii.

305. *Dispositis prod. hamis*: per translationem disciplinae militaris Sparteolorum Romae; quorum cohortes in tutelam Urbis cum hamis et cum aqua vigilias curare consueverunt vicibus.

306. *Servorum noctu Licinus iubet*: Licinus ille ex liberto

Claudii, de quo superius[1]) dixit: *Ego possideo plus Pallante et Licinis.*

307. *Phryg. columna*: marmorea.

309. *Non ardent Cynici*: id est, Diogenis, qui in dolio dormiebat.

310. *Cras domus*: ligavit de plumbo.* *eadem*: domus de dolio coniuncto.*

311. *Sensit Alexander*: Macedo.

313. *quam qui t. s. p. o.*: id est, Alexander.

314. *gestis aequanda p. r.*: cum magnis periculis magna res efficitur.

316. *Mensura t. quae*: si vis nosse, patrimonii modus quantus debet esse.

321. *aliud Sapientia dicit*: poscit philosophia.

322. *Acribus exemplis*: id est, video te nolle consentire ad philosophorum patrimonia.

324. *Bis septem ordinibus*: id est, gradibus equitum Romanorum.

325. *si rugam trahit*: si displicet et tristem facit, duorum equitum patrimonium fac.

328. *Nec Croesi*: Croesus ille est, cui Solon dixit, *ὅρα τέλος μακροῦ βίου*. Cuius filius, cum ipse Trallibus victus esset a Cyro rege Persarum, adulescens usque id mutus, intentum iugulo patris gladium cum vidisset, subito exclamavit: Homo Cyre, parce homini.

329. *nec divitiae Narcissi*: Narcissus libertus Claudii potentissimus idemque ditissimus eunuchus.

---

1) *superius*: Sat. I, 108.

SATIRA XV.

DE RELIGIONIBUS AEGYPTI.

Ad Volusium scribit de Aegyptiorum sacris, odio Crispini, qui Aegyptius erat egens, et modo magister peditum atque equitum factus est.

2. *Crocodilon adorat*: qui ab ichneumone perit dormiens.

3. *illa pavet saturam serpentibus ibin*: Ibin propterea Aegyptii colunt, quod illi naturale cum serpentibus bellum est. Nam cum Aegyptum Nilus etiam serpentibus inundaverit, illa eos omnes devorat simul et aspides. De huiuscemodi animalium genere Cicero in libro de Natura Deorum primo [1]), sic ait: *Ipsi qui irridentur Aegyptii, nullam beluam, nisi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, consecraverunt, veluti ibin. Ibes maximam vim serpentum conficiunt, quasi aves excelsae, cruribus rigidis, corneo proceroque rostro: avertunt pestem ab Aegypto, cum volucres angues ex Libyae vastitate vento Africano invectas interficiunt atque consumunt: atque fit, ut illae nec morsu vivae noceant, nec odore.*

5. *Dimidio magicae r. v. M. c.*: Memnonis ex aere statua, citharam tenens, certis horis canebat. Hanc Cambyses rex iussit aperiri, existimans mechanicum aliquod esse, quod intra statuam lateret; nihilominus tamen aperta statua, quae erat magice consecrata, horis statutis sonum reddidit. Ideo *dimidio* dixit, id est aperto et diviso.

6. *Atque vetus Thebe*: Thebas dicitur trans Aegyptum Liber condidisse.

13. *Carnibus humanis*: usque adeo de Aegyptiis vanum

---

1) *de Nat. Deor. primo*: c. 36.

aut incredibile est hi Ulixi similia de Laestrygonibus referenti credi iam fuit in mensa Alcinoi. Haec cum exclamatione legenda sunt.

15. *fortasse quibusdam*: simul discumbentibus.

16. *ut mendax aretalogus*: Virgilius [1]: *Artificis scelus. In mare nemo*: dicebant Phaeaces.

18. *Laestrygonas atque Cyclopas*: quos perhibent hominibus pastos extinctis.

19. *vel concurrentia saxa*: Symplegadas, inter quas Argo evasit; quae in Ponto concurrisse dicuntur. Numquid et ad haec Ulixis accessit?

22. *Et c. r. g. Elpenora porcis*: unum de sociis Ulixis, porcis a Circe factis.

23. *Tam vacui capitis*: inani capitis, κενεγκράνιος.

25. *De Corcyraea temetum*: vinum de insula Phaeacum.

26. *nullo sub teste can.*: qui eum redargueret mendacio. Merito ergo non credebatur illi, qui ea sine teste narrabat.

27. *Nos miranda quidem*: De se dicit Iuvenalis, quia in Aegypto militem tenuit, et ea promittit se relaturum, quae ipse vidit.

29. *Nos vulgi scelus*: referimus. *et cunctis grav.*: non Cyclopis, sed tragoediae narrationis.

30. *quamquam omnia syrm.*: vestes tragicas. Tragoedias.

32. *Dira quod ex.*: quod apud Aegyptum factum est a populo.

35. *Ombos et Tentyra*: Inter hos, Ombos et Tentyra. *Tentyra*: accusativus pluralis, ut Maenala, civitas Aegypti.

36. *quod numina vicinorum*: quod illi alios deos colunt vicini.

---

1) *Virgilius*: Aen. II, 125.

38. *Sed tempore festo*: cum diem festum habeant.

44. *Septimus interdum*: Festivitas sacrorum per septem dies solet celebrari.

46. *Barbara f. n. c. turba*: Alexandria. *Canopo*: Latina ripa.

48. *Blaesis atque m. t.*: ex parte ebriosum. Terentius [1]: *Nam neque pes, neque mens satis suum officium facit.*

49. *nigro tibicine*: Aethiope neque delectarent.

51. *Hinc ieiunum odium*: ab inimicis infesta sobrietas.

52. *haec tuba rixae*: Tuba rixae, inquit, convitia fiunt.

54. *sine vulnere malae*: sine pugnis genae.

55. *ac nulli toto c. nasus*: subauditur, est.

57. *alias facies*: mutatas ex cruore.

59. *Ludere se credunt*: cum adhuc manibus res agitur, lusum putant.

60. *quod nulla cadavera*: mortuorum.

61. *rixantis millia turbae*: Bene scilicet credunt se ludere, ubi, tot rixantibus, nullus moriatur.

64. *domestica seditione Tela*: competentia, vicina furori; nulla nam sic sunt domestica rixantibus tela, ut saxa.

65. *nec hunc lapidem*: id est, non tam magna saxa iactant, qualia antiqui.

72. *A deverticulo rep.*: propter excessum.

74. *pugnam instaurare sagittis*: commoveri et a sagitta.

77. *Labitur hic q.*: cadit fugiens.

79. *Frusta et particulas*: cruda membra hominis capti.

81. *nec ardenti decoxit aheno*: id est, tanta insania est illorum, ut nec in caccabis cocta, nec in verubus fixa comedant, sed cruda consumant.

84. *Hic gaudere libet quod*: id est, Praestitit, inquit, nobis, quod exta hominis focum communem non violarunt.

86. *Elemento gratulor*: gratulari te ipsum elemento, igni scilicet.

---

1) *Terentius*: Eun. IV, 5, 3.

90. *Ultimus autem*: Qui venit iam novissimus.

91. *Qui stetit absumpto*: Si ulterius senserit voluptatem.

93. *Vascones ut fama est*: Obsessi Saguntini ab Hannibale, coacti sunt cadaveribus suorum pasci. Lucanus [1]: *Obsessum Poeno gessit quae Marte Saguntum*, caesis scilicet imbellibus. Alii nam non ab Hannibale, sed a Metello obsessos dicunt.

95. *Fortunae invidia est*: quae ad hoc eos deduxit. *bellorumq. ultima*: cum obsiderentur a Metello.

97. *Huius enim quod nunc ag.*: de quo loquebar modo.

98. *sicut modo dicta mihi gens*: Vascones Saguntini quorum dictum sit, ut si maior invidia facti exemplum, quod soleas, non quod horreas.

100. *ventris furor*: famis inopia.

104. *dira at. i. passis*: Saguntinis.

107. *Zenonis praecepta*: Zeno Stoicae sectae ab eorum quique homines tum esse id summum ut solum bonum esse dicebat.

108. *Pro vita facienda p.*: sed per honestatem, sicut Stoici dicunt, melius erat mori, quam cadaveribus pasci.

109. *Stoicus antiqui prae. Metelli*: unde poterat tantum sapere, quantum Zeno, ut cadaveribus abstineret, scelus putando comedere pro vitae cupiditate?

110. *Graias nostrasque h. o. A.*: Romanas literas et Graecas.

112. *De conducendo*: de adhibendo negotiis suis oratore. *Thule*: civitas in Oceano. insula, in qua brumae tempore dies nulli; perinde solstitiali aestivo nox nulla.

115. *Tale quid excusat Moeotide saevior ara*: Iuxta Maeotim paludem Taurici sunt, quorum rex Thoas advenas immolare consuerat usque in adventum Orestis et Pyladis: quibus agnitis Ifigenia, quae erat templi sacerdos, ablato inde

---

1) *Lucanus*: III, 350.

Dianae signo, aufugit, idque Ariciae consecravit. Et Salustius [1]): *Namque omnium ferocissimi ad hoc tempus Achaei atque Tauri sunt, quod, quantum coniicio, locorum egestate rapto vivere coacti.*

120. *quae tanta fames*: id est, quomodo Saguntinos coegit obsessio.

122. *Anne aliam terra M. sicca*: Quam, inquit, invidiam facerent Nilo cessanti defluere aliam, quam hanc, quam fecerunt, cum cadavera devorarent, tamquam fame coacti?

123. *surgere Nilo*: inrigare Aegyptum.

124. *Cimbri nec Britones*: gentes diversae barbarorum.

125. *Sauromatae*: Sarmatae.

126. *imbelle et inutile vulgus*: Aegyptiorum.

127. *dare vela phaselis*: testeis navigiis; talibus enim navigiis in Nilo utuntur.

131. *ira atque fames*: eorum scilicet, qui hoc compulsi fecerunt, id est, Vascones et Saguntini. *Mollissima corda*: humanitatem et misericordiam natura hominibus non negavit.

133. *haec nostri pars optima sensus*: pars optima est naturae vel mentis nostrae, miserum flere.

136. *Circumscriptorem*: curatorem suum.

137. *Ora puellares*: puellares capilli, tristitia et squalore longiores. Cum enim rei tenemur, et capillos demittimus, qui faciunt nos interdum vultum habere tamquam puellae. *faciunt incerta*: ut sagaces falleret hospites, discrimen obscurum.* *capilli*: id est, tamquam puellae.*

138. *cum funus adultae*: viro maturae.

139. *vel terra clauditur*: sepelitur.

140. *et face dignus*: infas mortis.

141. *Arcana qualem*: face arcana dignus sacerdotii, ac per hoc iustus. *Arcana*: imbutum sacris dicit pontificem; aut *arcana* dicit mystica, cum in templo Cereris sibi invicem facem cursores tradunt.

---

1) *Salustius*: Fragm. p. 218. 4.

143. *A grege mutorum*: animalium, pecorum.

145. *Atque exercendis*: discendis artificiis habiles.

146. *Sensum a caelesti*: quem animum esse dicunt partem coelicae divinitatis.

147. *prona et terram spect.*: animalia.

148. *conditor illis*: deus.

150. *et praestare iuberet*: homines.

151. *Dispersos trahere*: in unum colligere in civitate.

154. *tutos vicino limite*: securos, vicinitate aliorum confidentes.

155. *protegere armis*: defendere bello.

156. *vulnere civem*: pro, cives.

158. *portarum clave teneri*: custodia portarum.

159. *Sed iam serpentum*: id est, nec serpens serpentem comedit, nec fera sui generis feram. Varro [1]): *Canis caninam non est.*

162. *maioris dentibus apri*: a sua gente.

163. *Indica tigris agit*: de India, ut Terentius [2]): *Elephantis quem Indicis praefecerat.*

166. *Produxisse parum est*: nam et invicem se absumunt dentibus, non tantum ferro necant.

168. *Nescierint primi gladios*: primo tempore, qui fuerunt regnante Saturno.

169. *Aspicimus populos*: Aegyptios.

173. *Pythagoras cunctis a.*: Pythagoras, Samius philosophus, propter cognitionem inter se mundi omnibus abstinuit animalibus, aversatus et fabam, quae ex sanguine humano orta esset. Nam flores eius in sanguinem vertuntur, si sic ponatur.

174. *et ventri indulsit non omne legumen*: qui et legumina timeret edere. Antistrophe, qui abstinuit.

---

1) *Varro*: de L. L. VII. p. 131. Muell.

2) *Terentius*: Eun. III, 1, 23.

SATIRA XVI.

DE FELICITATE MILITUM.

Ista a plerisque explóditur, et dicitur non esse Iuvenalis.

1. *felicis praemia Galle Militiae*: quanta in se habeat bona militia.

2. *nam si subeantur prosp. cast.*: ut nihil periculi patiatur in bello, vel non intersit proeliis: vel si sint pericula, quamvis timidus sim, tamen eo ad militandum.

6. *Et Samia genetrix q. d. h.*: id est, Iuno.

11. *Et nigram i. f. t. l. offam*: panis.

12. *medico nil promittente*: desperante.

13. *Bardaicus iudex*: centurio, qui quasi inter illos milites militavit habentibus stationem apud Bardos. Est autem gens Galliae. Vel qualis fuit Bardas.

14. *Calceus et grandes m. a. s. surae*: Pro ipsis militibus calciamenta dixit.

15. *Legibus antiq. castrorum*: Castra intra Urbem erant militum, quae Tiberius fecit.

19. *si iustae defertur caussa qu.*: si iustam caussam habueris.

21. *curabilis ut sit Vindicta*: ut satis cures, quemadmodum effugias illos.

23. *Mulino corde Vagelli*: In alio *Mutinensis*. Rhetor aliquis de Mutina. ignavus de mulino.

29. *Da testem*: fortasse dicis, habeo testes.

31. *Et credam dignum barba*: si audebit dicere; dico illum ex illis esse antiquis, si testimonium tibi praebeat.

36. *Sacramentorum*: id est, militiae, quia iurabant.

37. *Improbus*: militaris. *campum*: terminum, id est, si egeris contra aliquem, quod terminos effoderit et transtulerit.

43. *mille ferenda Taedia*: odia.

44. *subsellia tantum Sternuntur*: substernuntur, ponuntur, aut parantur.

52. *nam quae sunt parta labore Militiae*: castrense peculium liberum habent.

CAROLI FRID. HEINRICHII

ET

LUDOVICI SCHOPENI

ANNOTATIONES CRITICAE

AD

SCHOLIA VETERA.

Pag. 155. Hanc Iuvenalis Vitam, quam miror a Cramero omissam esse, cum in Pithoei editione, quam exprimendam susceperat, extaret, primus, quod sciam, Georgius Valla, medicus idemque philologus saeculi XV. haud obscuro nomine, cum satis amplo Veterum Scholiorum delectu in Commentariis suis ad Iuvenalem edidit. Atque has antiquae eruditionis particulas, quas falso nuper Frid. Osannus in Symbol. ad Hist. Litt. Graec. et Rom. II. p. 279. a Scholiorum collectione, quam hodie habemus, prorsus alienas esse suspicabatur, plerumque G. Valla ita prodere solet, ut eas ad Probum Grammaticum, tanquam auctorem, referat. Id utrum ex codicis sui fide, an conjecturam potius secutus fecerit, incertum est; hoc certum est, incaute agere, qui unius Vallae auctoritate omnem Scholiorum ad Iuvenalem quasi saturam soli Probo tribuunt, atque ulterius etiam progressi, hunc veterem illum Valerium Probum, Berytium Grammaticum, haud cunctanter perhibent. Is error alium, ut fit, errorem peperit, quem tribus verbis hic refellere, quid vetat? Etenim novissimi Iuvenalis editores, ubi de Scholiis Veteribus agunt, non defuisse narrant, qui Petro Birthio ea tribuerent. Vid. Achaintr. Vol. II. p. 76. et Rupert. Vol. I. p. CXLII. Nempe decepit eos, qui hunc novum et portenti similem interpretem somniant, mira incuria I. A. Fabricii, in Bibl. Lat. II. p. 360. ita scribentis: „*Petrum Birthium* Scholiorum in Iuvenalem autorem appellat Gonsalus de Salas ad Petronium p. 130". At docti Hispani Commenta si in utraque Burmanniana Petronii editione inspexeris, non *Petrum* eum scripsisse reperies, sed *Probum*; ut credibile sit, ipsum illud *Birthium*,

quod vere ibi legitur, nihil nisi operarum peccatum esse, ex *Berytio* ortum. Sed redeo ad Vallam. Cuius in Prooemio haec de Scholiis Veteribus, quibus usus est, leguntur: „Sane comperti mihi sunt nuper probi grammatici in iuvenalem commentarii quantum adhuc audiverim nulli alii cogniti sed mirae brevitatis: alioquin tamen per quam opportunos aliquando se nobis obtulerunt: obtulissent vero sese adhuc magis nisi nobis singula rimantibus codicis nimium cariosa invidisset vetustas: et si in omnes libros comperti habeantur: qui vix tertii libri secundam attigere satyram. Invigilavimus vero ipsi si modo id consequi potuimus: ut omnis huius poetae pateret eruditio: probi interpretamenta cuiusmodi ea fuerunt: quae plane perexigua sunt ne in minima quidem parte subtraximus: aut immutavimus". Hinc patet, Probum Vallae dimidio fere minorem quam nostrum Scholiorum corpus fuisse, id est, non ultra processisse, quam ad Sat. VIII. 197., ubi Valla idem hisce verbis testatur: „hic nos iam deserit probus nec ultra hunc locum quantum ad me pervenerit interpretatus est quicquam". Quod autem scribit, se Probi interpretamenta ne in minima quidem parte subtraxisse aut immutasse: in eo plus modestiae quam fidei inesse, haud immerito suspicetur, qui temporum istorum morem noverit. Et reperiuntur apud eum multa, quae, etsi aperte a Probo mutuatus est, tamen pro suis venditat; saepe etiam vetera contaminavit, alia omisit, alia addidit, et si forte depravatis lectuve difficilioribus incideret, ea interdum ad libidinem suaeque eruditionis modulum interpolavit. Cuius rei quo plura et graviora argumenta suppetunt, eo magis cavendum est, si quis hunc Probum vulgatis Scholiis vel emendandis vel augendis adhibere velit, ne temere tanquam prisca arripiat, quae posterioris licentia aetatis invexit. Ut huius generis novissimus Scholiorum editor nonnulla recepit, quae satius fuisset praetermittere, ita incredibile dictu est, quoties idem lectiones, quas non ingenio a Valla repertas, sed in codice suo inventas esse, ipsa praestantia earum fidem

facit, aut non animadverterit, aut animadversas in criticum usum vocare omiserit. Quanquam excusationis nonnihil ICtus egregius ex eo habet, quod editionem Vallae principem, quae Venetiis a. 1486. prodiit, usurpare ei non licuit. Nam Veneta a. 1501., quam Cramerus adhibuit, adeo operarum vitiis obruta est, ut saepe, quid Valla boni afferat, difficile sit intelligere. Quin etiam eiusdem editionis pravitate factum est, ut non modo locus, supra ex Vallae Prooemio allatus, in Crameri Praefat. p. 5. misere corruptus exstet, sed et in Scholiis ipsis toties Probo Vallae tribuantur, quae mera typothetae vitia putanda sunt. Idem in Vita Iuvenalis edenda fraudi fuit Henninio et Oudendorpio, quorum uterque nescio cuius editionis sordes pro lectionibus Vallae obtulit. Ego apud Vallam hanc reperi lectionis varietatem: v. 3. *praepara●ret*: et dein. 5. *poetamque semenstribus militiolis emitantem.* 6. *industrie.* 8. *committere ausus. Mox magna frequentia tantoque successu bis aut ter auditus: ut.* 14. *tunc.* 16. *figura.* 17. *summotus est missusque.* 18. *in extremam aegypti partem.* 20. *angore ac taedio.* Schopen.

Sat. I. v. 2. *tragoediam Thesei*, i. e. de Theseo. Vid. inferius ad 109. De *Cordo* Scaligerana p. 53. Casp. Barth. Adverss. p. 1013. Arntzen. ad Aurel. Victor. p. 98. Oudendorp. ad Sueton. p. 220. Heinrich. Add. A. Weichert. Poet. Lat. Reliq. p. 402. sqq. In scholii lemmate Pithoeus non *Codri*, ut apud Cramerum est, sed *Cordi* exhibet. Schopen.

3. *togatae sunt comoediae Latinae, quales Afranius fecit, palliatae Graecae.* Ita vere Schurzfl. Vid. Horat. Epist. II. 1, 57. ibiq. Schol. Loens. Epiph. 9, 18. Heinrich. Scholium Cod. Mediol. ad h. v., ab Oct. Ferrario de Re Vest. III. c. 24. T. VI. p. 774. Thes. Graev. prolatum, iniuria a Cramero omissum queritur Buttmannus Mythol. II. p. 166. eumque secutus Frid. Osannus in Symbol. l. l. p. 277. Dedit

Cramerus p. 571., quamquam non satis accurate. Antiquissimus enim codex, teste Ferrario, sic habet: *quia servi non utebantur colobiis, et nigris calceis, sed albis*, ut plane cum Cod. Vindob. congruat. Alterum scholium, quod Buttmannus ad I. 78. requirit, legitur apud Cramer. ad X. 99. p. 605.: *Praetexta genus erat togae, qua utebantur pueri adhuc sub disciplina usque ad XV. annum: deinde togam virilem accipiebant, unde in Vita Sancti Germani legitur, Cessit praetexta togae.* Vid. Ferrar. II. 1. p. 699. Ceterum fateor, ist usmodi speciminibus non tantum mihi scholiorum, quae in Bibliotheca Ambrosiana latere aiunt, desiderium moveri, quanto Buttmannus tenebatur. Schopen.

5. *Telephus: filius Eraclis et Angustae, a cervo nutritus est.* Ita cod. Sangall., quod Cramerus emendavit, consentiente Valla, nisi quod hic etiam *Herculis* legit; rectius, ut opinor. Idem.

Ibid. *feminino genere.* Huc pertinet doctrina Quintiliani I, 6, 2. Heinrich.

7. *qui Romae est in Appia* i. e. ad viam Appiam extra portam Capenam, ubi Martis aedes, de qua Liv. VII, 23. et X, 23. Ovid. Fast. VI, 191. Aedes igitur in luco. *Luci Capeni*: Virg. Aen. VII, 697. Vid. Nardini Rom. Vet. III. c. 2. p. 971. T. IV. Graev. Idem.

9. *Vulcani venti.* Vide Homer. Il. σ, 470. sq. Virg. Aen. VIII, 449. Facilis saepe animadversio falsarum in his Scholiis interpretationum; facilior etiam irrisio: at illud minus proclive, causas ostendere, unde fluxerint isti plurimi errores. Idem.

12. *in Horatiana domo.* V. Maium Prolegom. ad Fronton. Opp. p. XXVI. Idem.

20. *Turnus* celebris Satirarum scriptor. Infr. v. 11. De eo Wernsdorf. Poet. L. Min. III. p. LIX. et Addend. IV, 2. p. 826. Reuvens. Collect. litter. p. 86. De toto hoc Scholio vid. Casaubon. de R. Sat. p. 231. sq., qui valde probabiliter *Lenaeum* coniicit pro *Lenium.* Haec elementa vulgo media aetas

inter se permutavit. I. F. Gronov. Obss. p. 700. *Silium* Bassum et alterum cognom. Sparsum inter Rhett. memorat Seneca Controvv. l. III. cf. Werusd. III. p. XVI. Horum alterutrum intelligi sane licet: et multi ex Rhetoribus poetae evaserunt; quin ipse Iuvenalis et Persius. Propter hoc egregie Petronius c. 118. init. De hoc Scholio adi Forcellin. v. *Aurunca*. Savaro ad Sidon. Carm. IX. p. 128. Voss. de Poet. Latin. Paganin. Gaudentius in Ev. Ottonis Thes. I. C. To. III. p. 411. IDEM. Pro *Scaevae Memoris* apud Vallam non *saevi rumoris* legitur, ut Cramerus ait, sed aliquanto sanius *scaevi remoris*. De Scaeva Memore vid. Langii Vind. Trag. Rom. p. 9. Eiusdem nomen restituo Fulgentio post Nonium Merceri p. 563, 23., ubi hodie corrupte legitur *Memos in Tragoedia Herculis*. SCHOPEN.

26. *Canopus* etc. Vid. Servius ad Virg. Georg. IV, 287. Markl. ad Stat. p. 124. Heyn. Opusc. Acad. I. 397. HEINRICH.

27. *de plebe Aegypti fuit*. Melius Probus Vallae *Aegyptia*. SCHOPEN.

28. *invenit*. Probus Vallae *invenerat*, ut cod. Sang.; unde recte Cramerus *invenerant* coniecit. IDEM.

33. *Heliodorum*. Reimar. ad Dion. p. 1152. l. 82. Item ad v. 35. Pro *Licinium Silanum* lege *L. Iunium Sil.* cum Lipsio ad Tac. Ann. XVI, 7. Deinde *Egnatium Celerem* Sorani clientem dicit Tacit. l. l. XVI, 32., sed Hist. IV, 10. e praeclara Lipsii emendat.: *Celer — testis in Baream — cuius se magistrum ferebat*, et sic Iuven. III, 116. Vid. Iac. Hasaeus de Berytensi ICtor. Academia, p. 36. sqq. Pro *Demetrio causidico* temere admodum Pithoe. et Almelov. *Dem. Cynicum*. Hic sane in Impp. vehemens erat, et relegatus in insulam a Vespasiano (Suet. Vesp. c. 13. Dio Cass. LXVI, 13.): cetera probissimus. v. Lipsium ad Tac. Ann. XVI, 34. Reimar. ad Dion. l. c. HEINRICH. Distingue: *sub Vespasiano, hoc ipsum Musonio R. accusante, damnatus est*. Mox post *caussidicum* omittit Probus Vallae *dicunt*, quod praefero. SCHOPEN.

34. Plane desperat de hoc Schol. bonus Schurzfl. Facil-

hinc corrigo: *Delatione n o b i l i u m*, pro *Siciliae*. Ultima *Et a Sylla* etc. ab alia manu attexta. Heinrich.

43. *aut pretii adulterii*. Lege *u t pretii adult*. Idem.

49. *Hic enim ab octava*. Lege *Hic i a m ab oct*. Idem.

51. *quia satyrici ad omnium vitia quasi lucernam admovent, et ut adurant, et ut ostendant crimina*. Lege: *ad h o m i n u m vitia — admovent, v e l ut adurant v e l ut ostendant crim*. Valla ita pergit: *Venusina lucerna. horatiana. patria enim horatii venusium: lucerna igitur satyrica quali horatius scripsit: sive a venusio ubi laternae leves fuerunt: ut Probus inquit quae vilissimi veniebant*. Postrema inde a *sive* recepit Cramerus. Schopen.

58. *militum tribunatum*. Ornat hoc Lipsius Milit. Rom. II, 9. p. 58. b. Heinrich.

62. *lacernatae*. Reimar. ad Dion. p. 1035. l. 65. Idem.

65. *cathedra*: *ita his rebus concitatur, ut posset et in publico scribere*. Vere sic Orellius, nisi quod in extremis scribendum est *ut p o s s i t v e l in p. s*. Nec scholium ad v. *cathedra* pertinet, sed ad verba *Nonne libet medio — quadrivio*. Schopen.

68. *saliva tacta*. Sic alii boni auctores. Vid. Gronov. Observv. III, 18. p. 449. Heinrich.

69. *venenum dicit*. Lege *v i n u m*. Schopen.

71. De *Locusta*, Sueton. Neron. 33. Rationem nominis illustro ex Toupii Animadvv. in Schol. Theocr. X, 18. Dan. Heins. Lectt. Theocr. c. 16. Scholium partim corruptum, partim turbatum. Lege: *Locustam — veneficam, quoniam magnae famae erat propter venena conficienda, Nero excivit ad se* etc. Heinrich. Probus Vallae: *ut et illum doceret et plures puellas: unde ait Turnus in satyra. Ex quo caesareas soboles locusta cecidit. Horrendum curas: dum liberat atra neronis. haec incr. a ner. q. l. v. britannico comparasset: deinde t. eff. d. u. a. p. br. exh. i. conv. ner. expiraret a nerone venenum idem accipiebant multae ut maritos suos

enecarent. Reliqua desunt. Verba *a Nerone — enecarent* in ordinem a Cramero recepta sunt. Schopen.

75. *quibus conscientia tenentur obnoxia.* Lege *obnoxii.* Idem.

76. Lege cum Schurzfl. *emblematicum opus.* Heinrich.

90. *luditur arca: ad interitum, eventum.* Hoc sensu caret. Scribe *ad fortuitum eventum.* Glossula adscripta erat verbis Iuvenal. praecedentibus: *ad casum tabulae.* Schopen.

95. *ideo dicit habuit.* Pro *habuit* Cramerus *coenavit* legi vult. Immo sensus postulat, ut corrigatur *avus.* Idem videtur Valla in codice suo legisse, qui ita ad h. l.: *ostendit apud veteres hanc vitam non fuisse: unde et avus ait.* Idem.

Ibid. *Moris autem erat* etc. Savaro ad Sid. Epp. p. 467. Heinrich. In iis, quae praecedunt, lege *quis tuorum avorum.* Schopen.

96. Hoc scholium misere depravatum est. Valla: *vult int. apud v. maiorem h. fuisse quamv. pauperiores essent: nunc autem eam sol. claementiam exhiberi quod sportulam: et ipsam quidem tenuem proferat: nisi tamen ab hon. exclud.* etc. Hinc corrigo: *Vult int., ap. veteres, qu. pauperes essent, tamen m. h. fuisse; nunc autem eam s. vid. hum., si det. sp., et ipsa tenuissima, nisi tamen ab hon. exclud.* etc. Idem.

99. *Agnitus — nedum humiles possunt accipere.* Istud *humiles* non habet, quo referas. Noli dubitare, quin verba, loco suo mota, postea maculam traxerint. Prior interpretatio ita scripta erat: *Agnitus: pro exploratus.* Altera: *Troiugenas: id est, patricios maiorum gentium, qui nisi agniti fuerint, non accipiunt; nedum humiles possunt accipere.* Idem.

100. *cum pauperibus ipsos nobiles.* Lege *ipsi.* Idem.

104. *Mesopotameni homines* etc. Vid. Gibbon. VI, p. 20. Heinrich.

Ibid. *in libertinorum corpus et tribus relati.* Si non scripsit, certe scribere debuit: *in tribus urbanas.* Nam in urbanis tribubus libertini suffragium ferebant. Tritis auctoribus adde Cuiac. Observv. VII, 14. Idem. Cod. Sang. habet, teste

Orellio, *in libertinorum corpus tribus relati sunt.* In sequentibus scribendum puto *signa servitutis celare non poterant.* SCHOPEN.

105. Lucilii versum Orellius ita legit: *aurum atque ambitio sunt sp. virt.*, ut *sunt* a Scholiasta additum sit. Vid. Schol. ad III, 143. IDEM.

106. *laticlavium.* Nova forma pro tunica laticlavia, quam Ferrarius corrupit, R. Vest. III. c. 12. extr. *laticlaviam* scribens. Dixit, ut Schol. Horatii Cruq. *colobium*, a collobio presbyterorum laticlavio. Vid. Graev. Praefat. T. VI. Thes. Isidori Glossae: *Clavia, borda,* ubi Graevius aberrat cum Dufresn. HEINRICH.

108. *si mercenarius alienus nobilis esset pauper.* Ita cod. Sang., ut Orellius testatur. Lege *nobilis est et pauper.* SCHOPEN.

109. *in aula — praepositi.* Pallas erat a rationibus. Suet. Claud. 28. Nugatur Schurzfl. de cubiculariis. Quin omnino male Licinius ad aulam Claudii refertur, quippe qui, ut sub fin. ait Schol., *decessit sub Tiberio.* Idem error ad XIV, 306. Vid. Schol. Persii II, 36. De Pallante quae e scriptoribus constant, praeter alios, collegit Chr. Guil. Franc. Walch. Commentat. de Felice Iudaeae procurat. §. III., sed prorsus omisso hoc scholio. Reimar. ad Dion. LXI, 3. Mox ad verba: *Pallas — ad nuptias confirmasset,* vid. Tacitus Ann. XII, 1. et 2. Quod sequitur *consuetudinem stupri,* prorsus obscurat narrationem, et legendum potius *consultationem stupri,* id est, de stupro; quemadmodum vel optimi loquuntur. Cic. Verr. II. l. III, 44. *Sed mihi Aetnensium brevis est oratio:* ubi Ernestius: „*Aetnensium oratio.* int. de Aetnensibus. Sic et Graeci solent, saepius Latinis". De multis unus Plato Theaetet. p. 147. C. *ἐν τῇ τοῦ πηλοῦ ἐρωτήσει,* quod Heindorfium addubitare, quis non miretur? Cf. Schaefer. ad Dionys. de Compos. p. 213. it. ad Sophocl. Antig. v. 11. et in Ind. ad Homer. v. *Genitivus.* Etymol. M. p. 42, 41. *ὑπόμνημα Ἰλιάδος,* id. p. 104, 2. *μελέτη Ὁμήρου.* Ad eundem modum supra in

his Scholiis ad v. 2. *tragoedia Thesei.* Cic. ad Att. II, 1. *commentarius consulatus mei.* Spartian. Hadrian. c. 16. *libros vitae suae.* Iam vero scomma, quod egregium Scholium, de quo Schurzfl. ineptissime, simulacro Minervae adscriptum fuisse tradit, spectat ad sententiam Homericam Odyss. *α*, 33. 34. et Platonis de Rep. X. p. 617. E. *αἰτία ἑλομένου, θεὸς ἀναίτιος.* Hic Pallas haud erat *ἀναίτιος*, immo quam maxime isto in facinore *αἴτιος*, et hoc traductum ad deam epigraphe: *Παλλὰς αἰτιωτάτη.* Ita enim cum Henninio scribendum. In seq. Schurzfl. de re vidit nonnihil, de verbis prorsus erravit. Corrige: *Caesari, quodam denegante ei pugillaribus* etc. Mox scrib. *barbarus lubens.* Extrema satis Pithoeus restituit: *Crassi opes* et *habuisse fundos.* Cf. Fabric. ad Dion. p. 751. l. 59. add. Schol. Cruq. Hor. A. P. p. 632. b. Seneca Epp. 119. p. 662. et in Apocolocynt. p. 812. HEINRICH. Quod Heinrichius coniecit *quodam denegante*, confirmat Probus Vallae. Minus prodest medicina, quam idem *barbaro lugenti* adhibuit. Ut enim nulla Licinio hic causa erat lugendi, ita invitum eum pugillares obtulisse, non video, cur negari oporteat. Immo cum tota narratio id agat, ut Licinii cautus providusque animus describatur, non dubito, quin reponendum sit: *barbarus prudens.* SCHOPEN.

111. *plus honoris videri in calceis, quam in persona.* Proverbium de nobilibus novitiis, *τὴν εὐγένειαν ἐν τοῖς ἀστραγάλοις ἔχειν.* Iunii Adag. Cent. III, 23. et ap. omnes Paroemiographos. Primus auctor Herodes Atticus. Philostrat. Vit. Sophist. II, 1, 8. (p. 554. C. Morell.) Cicero Phil. XIII, 13. *mutavit calceos; Pater Conscriptus repente factus est.* Quod negat Senatores nigris tum calceis usos esse, falsus est; *nigra aluta* etiam Iuven. VII, 192. Salmas. in Vopisc. p. 411. A. et ad Inscr. vett. p. 105. sq. Sed effugium quaerit Rubenius Scriptt. de Calceo ed. Joecher. p. 189., corrigias et lora nigra fuisse, ipsos calceos vel albos vel coccineos etc. (probante Fr. Volg. Reizio, Praelectt. de Antt. Rom. p. 359. add. Graev. ad Cic. p. Mil. c. 10. At vid. Heins. ad Ovid. A.

A. III, 271. Seneca p. 161. B. Muret. Opp. III. p. 112.), nigros calceos, i. e. compagos extrinsecus nigros, Senatoribus fuisse usitatos sub Impp., tum, quum scriberet Schol.: p. 207. Sequentia seiungo, tanquam glossam alius manus, ita tamen, ut *sed* retrahatur etiam ad superiorem glossam, quae sic manca est: *utebantur, sed....* Cetera, ne alios dicam, Salmas. tractat in Lamprid. p. 222. F. 223. E. 224. A. legens: *vel bracis, vel pedules novas in bracis, quos pedortes dicunt. Bracas* hic esse ait pro pedum tegumento, et adeo calceos; *pedortes*, quae *πεδόρτια* Graeci dicunt, quasi *ποδάρτια*, fasciae pedules albae, vel *πῖλοι*, quibus intra calceos muniebantur. Cur vero pedules *novos*? cur *ut peregrinus*? Non dixit vir summus. Nec muto scripturam *braccarum*, neque masc. genus *pedulium*; qualia constat magnopere usu variare. Ceterum de *pedulibus* ingentes antea copias effudit p. 221., clam posthac a multis compilatas. Aliter Savaro ad Sidon. Epp. p. 288. ex corrupto *pedornis* facit *perones*, tacitum pedisequum habens sutorem Balduinum p. 163. Iocch. De *peron.* Salmas. in Tertull. p. 363. Ruben. de Re Vest. II. 2. Sic saltem scripseris: *vel — sine braccis*, ut erat Gothorum vestitus, sec. Sidon. IV, 20. A Gothis autem in vestitu nova multa accipiebant Romani. Beckmann. Symbol. T. V. p. 22. sq. Gothofred. ad Cod. Theodos. T. V. p. 238. Heinrich.

112. *quasi pecunia templum haberet.* Lege *quam si pecunia* etc. Schopen.

116. *ex concilio* i. e. compositione *rostri*, Salmasius ad Tertull. Pall. p. 237. vid. Turneb. Adverss. VIII, 18. it. Gesner. v. *Concilium.* Nec tamen hanc veram puto correctionem, et potius leg. *ex collisione rostri*, vel *collisu.* Plin. H. N. IX. *crotalia appellant* (margaritas, elenchos), *ceu sono quoque gaudeant et* (l. *ex*) *collisu ipso margaritarum.* Heinrich. Probus Vallae: *Templum concordiae est vetus in quo ciconia multa est.* Reliqua recte Cramerus, quem vide. Schopen.

121. *Bithyni.* Opinio ista fuit et fama, non conficta ex loco Ciceronis, sed eo confirmari visa. In fin. Schol. scribe

ordine inverso: *vehi octophoro, id est, lectica.* Cerno, voc. *lectica* apud Cicer. delendum esse, ut glossam. Cic. ipse ad Q. Fratr. II, 10. *octophoro,* sine *lectica.* Appulei. Apolog. p. 323. Elmenh. *vectabatur octophoro.* Neque usquam exemplum est aliud huius voc. pro adiectivo positi. Sic plane *hexaphorum.* Et adiectivum non id, quod gestatur, sed eum, qui gestat, significat. Vitruv. X, 3, 7. *phalangarii hexaphori et tetraphori; ἑξαφόροι, τετραφόροι.* Nec tulit usus, ut diceretur ἑξάφορος etc. passiva significatione. Lecticae ex Asia Romam translatae, et sero. Vid. Lips. Electt. I. c. 19. Scheffer. de Re Veh. II, 5. Is. Voss. ad Catull. X. Heinrich. Locum Ciceronis Probus Vallae ita exhibet, ut vulgo legitur, praeterquam quod, omissis *id est — octophoro,* sic pergit: *Lectica petit. octophoro inquit probus vehebatur.* Quod moneo propter Cramerum, quem vide. Ciceronis verba peius etiam deformata exstant in Schol. ad VI. 351. Schopen.

128. *bibliothecam iuris civilis.* Locum Nic. Heinsius adscripsit ad Ovid. Trist. III, 1, 63., sine dubitatione. Scil. *ius civile* hoc Scholiastae peperit *iurisperitus* poetae. De Augusti Palatina satius est legisse Lipsium de Bibliothecis Syntagm. c. 6., quam qui postea illius scrinia compilarunt. De hoc Scholio sobrie iudicat Luersen. de templo et biblioth. Apollinis Palat. p. 221. At nihil ad rem habet Hommelii de Apolline iurisperito dissert. Lips. 1748. Quod init. legitur *quia — tractabant,* id verum non est, sed commentum ex epitheto ductum, quo perperam usus est Winckelmann. in libro, omni ex parte nimis imperfecto, de Allegoria, Opp. T. II. p. 659. not. 24, neque ibi, quod necesse erat, correctus ab Editore. Ceterum *tractare* est proprium Iurisperitorum: vid. Vales. hoc scholio usum ad Ammian. XXVIII, 4. p. 253. Savaro ad Sidon. p. 204. Heinecc. Antiqq. Rom. Syntagm. p. 59. ed. noviss. Heinrich.

133. *aut si quis certe.* Transpone *aut certe si q.* Ita saepe alibi. Mox scribendum cum Valla *tamen non p. d. mensam exspectare.* Schopen.

135. *de venatione.* Valla: *quae de venatione sunt optima.* Vid. Cramer. Idem.

138. *mensa.* Vid. Brissonium s. v. Heinrich.

149. *Utere velis: distinctionis dicit* etc. Absurde. Lege *dictionis dicit.* Valla: *velis dictionis et satyre.* Schopen.

153. *cuius non audeo dicere nomen.* Lubinus: „Vetus, inquit, Commentator hic addit: *Cum in senatu Caesarem occidissent, dies, qua interfectus, libertati consecrabatur, et dies libertatis dicebatur; postea Augustus, occisis percussoribus Caesaris, sub poena prohibuit, ne quis amplius nomen libertatis illi diei attribueret. Quasi dicat: illis* (leg. *illius*) *libertatis nomen vix ausim dicere, nedum ut ipsum* (leg. *nedum ipsam*) *mihi ausim usurpare*". Idem.

155. *C. Fulcinius Tigillinus.* Lipsius ad Tacit. Ann. XIV, 51. corrigit *C. Ofonius Tigellinus.* Vid. ad Dion. p. 1011. l. 42. Var. lect. et not. Fuit *Fulcinius Trio* amicus et adiutor Seiano (Dio p. 897, 78. et not. Apud Tacit. passim. Tillemont. I. p. 161.), cuius hominis gentilicium nomen ad non dissimilem Tigellinum proclivis transtulit permutatio. Mox post *in concubinatum* adde *sumtus*, quod praeced. syllaba intercepit. Deinde leg.: *in utriusque uxoribus suspectus, ob hoc U. sum.* Reliqua ita scrib.: *a Binicio et Lucio Domitio, maritis Agrippinae et Iuliae.* Tres erant C. Caesaris Calig. sorores, Germanici filiae: *Agrippina*, nupta *Cn.* Domitio, Consuli. Dio p. 891. ult et Fabric. ad p. 893. l. 26. Glandorp. Onomastic. p. 467. Birag. Numism. Imperat. p. 76. sq. Beaufort. Histoire de César Germanicus, p. 297. sq. Tillemont. I. p. 139. et 413. Hunc Schol. et Lipsius l. c. confundunt cum *Lucio* Domitio, aut Cnei patre, aut marito sororis *Drusillae*, *Lucio* Cassio Longino, Tacit. VI, 15. Sueton. Calig. c. 24. et 57. Quin a Lipsio citatus Tacitus VI, 45. nullum alium habet, nisi *Cn.* Domitium. Tigellinus a. C. N. a. 39. a Caligula relegatus, ὡς καὶ τὴν Ἀγριππίναν μεμοιχευκώς. Dio p. 928. l. 12. Tertia *Livilla*, quae eadem *Iulia* in libris et nummis. Dio p. 926. l. 45. et not. add. p. 964, 62.

it. Tacit. VI, 15. Lipsius in Stemmate Domus Aug. „*Livia* s. *Livilla*"; qui unde *Liviam* dixerit, nescio. *Iulia Livilla* vocatur a Fabricio ad Dion. p. 893, 26., *Livilla* tantum ab eodem, de Genere Aug. p. 71., non sine vitio in mariti praenomine: atque alia ibi pro more suo miscet commentator Peschwitzius. Haec collocata *M. Vinicio*. Dio p. 964, 59. Tacit. VI, 15. Is est *Venicius* inscript. Spon. Miscellan. p. 34., in Scholio *Binicius*, variata scribendi ratione; hoc quidem propter illam consonantium *V* et *B* in pronuntiando affinitatem, pluribus aliis per haec Scholia exemplis conspicuam. Vide Lipsium Var. Lectt. II, 28. Opp. T. I. p. 45. Falconer. ad Inscript. Athlet. p. 121. Salmas. de Hellenist. p. 62. Carrio ad Valer. Fl. VI, 655. De Livillae adulterio, cum Tigellino patrato, nihil notum est, parumque accurate rem tradit Scholiasta, cum Tigelliniano flagitio similia, sed diversa, permutans, de quibus vid. Tillemont. I. p. 264. Heinrich. Pro *Fulcinio* Valla habet *offonius*. Mox idem egregie *piscatoriam in a c h a i a exercuit — ut c o n s p e c t u claudii abstineret*. Schopen.

Ibid. *Pone*: *hoc est, in satyra ponere, vituperare*. Corr. *p o n e, v i t u p e r a*. Heinrich. Bene cod. Sangall. mox *et sic ignem admoveri iubebat*. Schopen.

Ibid. *Tigellinum: Nunc*. Immo *n o n;* aut *n u n c n o n*: nisi plura etiam verba desunt. Extr. leg. *scrobe s u b t e r r a facto cavet*. Heinrich. Neutra correctione opus videtur. Ad *nunc* subintelligendum est praecedens lemma, sic: *nunc pone Tigellinum, sicut olim Mutium Lucilius posuit*. Nec magis me illud *subter* offendit; quin etiam vereor, ne *sub terra*, quod Heinrichius substitui vult, minus Commentatoris menti respondeat. Quanquam hoc probo, quod *cavet* correxit. Praeterea vide, num paullo supra pro verbis *Aut, non tantum non deserenda libertas* scribendum sit *Aut, n o n t a m e n deserenda lib*. Schopen.

157. *in qua stipites fiebant*. Lege *f i g e b a n t*, ut cod. Sangall. habet. Idem.

158. *Qui dedit aconita tribus patruis.* Ad hunc locum Dom. Calderinus vetus scholium ex libello, ut ait, Probi Grammatici protulit: *Marcus Offonius Tigillinus homo omnium nequissimus tres patruos habuit, quos omnes, ut eorum haereditatibus potiretur, veneno absumsit, subtractisque annulis et falso tabulis signatis, haereditates summo scelere consecutus est.* Idem Britannicus. Idem.

162. *quae vivorum vitia carpi vetat,* bene Pithoeus. Horat. II. Epp. 1, 152. *lex — malo quae nollet carmine quemquam describi.* Tacit. Annal. I, 72. *Primus Augustus cognitionem de famosis libellis tractavit.* Dio LVI, 27. et ibi not. Verum Augustus cognitionem illam non ex Lege Iulia, ut ait Schol., sed *specie Legis de Maiestate* tractavit, ut Tacit. l. c. Cf. Bach. Div. Traian. p. 27. sq. Sueton. Aug. c. 55. et Casaub. Heinrich.

Sat. II. v. 1. *Sauromatibus.* Verissime Pithoeus *Sauromatides,* quod Schurzfl. ne intellexit quidem. Plin. H. N. VI, p. 368. *quorum a tergo indicatae iam Amazones Sauromatides.* Indicantur antea p. 362. *Primo Sauromatae Gynaecocratumeni, unde Amazonum connubia.* Scripserat hic Plinius: *unde Amazonum c o g n o m e n.* Cf. Eustath. ad Iliad. p. 1159, 51. Schol. Venet. B. ad Iliad. σ, 515. Mela III, 5. *Intus sunt ad Caspium sinum Caspii et Amazones, sed quas Sauromatidas appellant,* ibique Intpp. Idem.

6. *imaginem similem, ut statuam.* Leg. *v e l statuam.* Schopen.

7. *armarium.* Schol. ad III, 219. Savaro ad Sidon. Epp. p. 142. Lips. de Biblioth. c. 9. Opp. T. III. p. 634. Etymol. M. p. 146. ult. Ducang. Gloss. Gr. in v. Heinrich.

16. *archigalli cinaedi.* Tertullian. de Resurr. carnis c. 16. *calicem — frictricis, vel archigalli, vel gladiatoris, aut carnificis spiritu infectum, quaero an minus damnes, quam oscula ipsorum?* quo de l. agit Salmas. in Tert. de Pall. p. 309. Add. Casaub. in Lamprid. p. 146. C. et primus omnium

Scalig. in Virg. Cirin p. 75. Collegia erant sacerdotum, quae *magistros* suos habebant, ἀρχιερέας, ἀρχιγάλλους, ἀρχιβάκχους. Casaub. in Capitol. p. 59. *Archigallus* in lapide ap. Gruter., et in alia inscript., de qua Gisb. Cuper. Epistol. p. 562. Hinc intell. Christus ἀρχιποιμήν in sacris litteris, quem cum *archibuculo* acutissime comparat Cuper. ibid. p. 516. Cf. Forcell. h. v. Ad *magulum*, quod sequitur, Ruperti: „forte *gallum* s. *gallulum* vel potius *matulam*". *Gallum* s. *gallulum* suum a Schurzfl. sumsit, *matulam* inficetum ab ignoto inventore in Miscell. Obss. Belg. Vol. V. T. II. p. 268. Nihil est verius quam vulg. *magulum*, quod a barbaro μάγουλον, gena, bucca, repetunt Meurs. et Dufresn. in Glossariis s. v. Adde: Γνάθον, τὸ μάγουλον, ex Glossis Obss. Misc. Vol. IX. p. 141. Non aliud est Germ. *Maul.* Voss. de Vitiis Serm. II, 12. Idem. Pro *impudicitiam perpessus* Valla: *impud. professus*, recte Henninio et Cramero probantibus. Senec. de Provid. c. 4. *professos impudicitiam.* de Vita beat. c. 12. *vitiis suis sapientiam inscribit et abscondenda profitetur*, ubi vid. Lipsius. Schopen.

27. *Sed et Clodius.* Schurzfl. male. Quod Achaintr. ait se legere, Graevio sublegit. Sane corrig. *Sed et Domitianus fratris filiam* etc. Quae postea adscripta sunt ad v. 29., contraria illis et falsa admodum, ab alia profecto manu venerunt. Heinrich. Utraque annotatio potest eiusdem manus esse, modo verba *Sed et Domitianus fr. fil. Iul. in adulterium* (ita enim scribendum) *sumpserat* etc. loco reddideris suo. Collocanda enim videntur ad v. 29. post hoc: *cui illa praeparavit imperium*, cui loco multo, ut opinor, aptius ea iunguntur. Schopen.

29. *uxorem impudicissimam* etc. Nic. Antonius de Exilio III, 4. Thes. Meermann. T. III. corr. *uxore impudicissima, Agrippinam filiam fratres Germanici, matrem Neronis, revocatam ab exilio.* Heinrich.

33. *pro partu.* Plenius et magis ex usu Valla: *pro partu posuit.* Schopen.

35. *qua severitatem.* Orellius coni. *quia.* Lege cum Valla *qui.* Idem.

50. *propatientis.* Wower. ad Minuc. Felic. p. 279. corr. *ore patientis.* Conglutinatae hic duae glossae diversae, una *Utriusque sexus,* altera *Inguina* etc. Heinrich.

53. *coliphia: pulmentum sive membrum virile.* Salmasius in Tertull. de Pall. p. 220. ex Glossis ineditis: „*colephium,* κωλήν“, id est, membrum virile, *colis*, vocab. comicum: ex quo tollitur Brunckii dubitatio Not. in Aristoph. Aves v. 560. Graecam vocem κωλίφια H. Stephanus Ind. Thesauri procudit, et Vossius in Etymol., quae tamen vox nulla est. Graecorum sunt κωλήπια. Vid. Salmas. in Vopisc. p. 385. B. eundemque in Tertull. l. c., et Schneiderum nostratem ad Vegetium de A. Veterin. p. 105. Rer. Rust. Scriptt. T. IV. Ad glossam priorem *pulmentum*, Glossae Isidori: *pulpedinem, colephium.* Pulpedo idem est quod pulmentum, pulpamentum. Salmas. in Tertull. de Pall. p. 433. Ianuensis Cathol. v. *Colifium*, „panis“ etc. Unde haec? Nempe isti in mente et, ni fallor, etiam in Codd. suis habebant *collicia, τὰ κολλίκια,* panis genus: Gregor. de Dial. p. 549. Lips. Schweigh. Animadvv. ad Athen. VII. p. 540. Hesych. v. ὀλισβοκόλλιξ. Ducang. v. κολίκιον, et in Append. κουλήκιον. it. Γανδούμιον. Attigit *coliphia* I. H. Schulzius de Athletis eorumque diaeta et habitu, in Dissert. Acad. Halae 1743, p. 48. κωλήπια: Hemsterh. ad Plut. Aristoph. p. 428. Reines. Var. Lectt. p. 241. La Cerda Adverss. Sacr. 82, 11. Boettiger. Lond. u. Par. 1802. No. 3. p. 262. sq. ex eo Comment. Soc. phil. Lips. Vol. III. p. 173. Idem. Scripsit, ni fallor, *pulmentum in membrum virile,* id est instar membri virilis sive ad hanc similitudinem factum. Schol. cod. Vindob. apud Cramer. p. 584.: *Coliphia, ut quidam dicunt, sunt membra virilia de fermento et melle composita: quidam, quod sint genus carnium, quod athletae comedebant, ut fortes essent; nam ante Pithagoram ficis utebantur, Pithagoras autem invenit, ut carnes taurorum assas et panes assos comederent. Attamen*

generaliter omnes cibi athletarum coliphia vocantur. Iohann. Ianuens. l. c. *Colifium i. panis qui post primam vel meridiem laborantibus datur. Vel panis azimus in modum virilis membri factum, quo solebant uti agonistae ut essent fortiores.* De usu praeposit. *in*, pro *instar* positae, vid. Ruhnken. Praefat. Scheller. in Opusc. II. p. 733. Rursus in Schol. ad v. 147. *pugnavit in gladiatorem*, ubi errabat Salmas. in Lamprid. p. 116. D. Schopen.

56. *ob invidiam* Valla. Tamen vulgatum probo. Vid. Muncker. ad Ovid. Met. VI. 5. Argum. Mox legendum est *quoniam ausa fuit eam certamine provocare.* Idem.

58. *puellae ergo* etc. Probus Vallae sic: *Dederit vivus cur multa puellae. consciae, quae dominum suum novit praecidi.* Vocis *praecidendi* vim illustrat gentilis meus, C. Scioppius ad Priap. p. 21. Idem.

60. *corrumpi.* Adde ex cod. Sang. *senem.* Idem.

63. *columbas ret. ad simplicitatem*, verba Christiani hominis. Ex dicto Servatoris: *Estote prudentes ut serpentes, simplices ut columbae:* unde in vetere Ecclesia symbolum columbae cum serpente, et proverbium: *μῖξαι τῇ περιστερᾷ τὸν ὄφιν.* Vid. Ios. Scaliger. Exposit. Numism. Constant. Epistol. p. 438. sq. Heinrich.

65. *Dicit contumeliose* etc. Quae quomodo in *Stoicidas*, masculinam patronymici formam, possunt cadere? Verum scriptor Scholii legit suo in libro *Stoiadae:* de qua terminatione vid. Bentlei. ad Horat. Serm. I, 1, 100. *Στωϊάδες*, ad sonum formae *Τρωϊάδες*. Aut ipsum *Stoicidae* pro feminino patronymico acceptum: *Στωϊκίς*, unde *Stoicis* et *Stoicida.* Schol. ad V, 152. *Hesperida.* Ita *Persida* pro Perside et similia: Salmas. in Tertull. de Pall. p. 421. Reines. ad Inscript. p. 585. Eodem sensu intelliguntur *discipulae* apud Horat. Serm. I, 10, 91. Vid. Lambin. Idem Serm. I, 8, 39. *fragilis Pediatia*, ubi Schol. et Lambin. Ruperti in Var. Lect. Scholiastem putat *Stoicides* legisse. Inscite. Idem.

67. *Cretice.* Valla: *Cretice. invehitur in metellum creticum eum qui vicit cretenses ut Probus ait.* SCHOPEN.

79. *corrumpentur* rectius Valla. IDEM.

81. *Hoc et proverbio sumitur.* Mirum hoc proverbium: „Uva uvam *videndo* varia fit", nec alibi usquam. Turbatum Scholium, et ita restituendum: „*Uvaque consp.* uva uvam videndo varia fit. Et Virgilius: —. Hoc et proverbio sumitur." Scil. versus Iuvenalis abiit in proverbium. Vid. Io. Saresber. V, 10. Graecis quoque in proverbio: *βότρυς πρὸς βότρυν πεπαίνεται*, ap. Suidam in v. *βοτρυόδωρος*. *videndo* autem dixit, ut Virgil. eiusque memor, Ge. III, 215. pro eo, quod videtur, conspicitur. HEINRICH.

83. *paulatim suscipiaris.* Lege *suscipieris.* SCHOPEN.

86. *abdomine porcae: pinguedine, aut stent in his ut matronae.* Quaerit Cramerus: „An, *ut se dent?*" Meliora Valla docere poterat, ubi diserte haec ita leguntur: *pinguedine vel intestinis.* Quod attexitur *ut matronae*, explicando verb. *porcae* inservit. IDEM.

89. *sacra faciunt.* Adde ex Valla *baptae.* IDEM.

92. *lassare psaltriam*, nova est glossa ad verb. *lassare.* Leg. *lassare psaltria*, aut, quod praefero, *psaltrio* s. *psalterio.* Psaltriae erant in huius generis sacris, ut in sacris Bonae Deae. Sat. VI, 337., et notus est ibi Clodius habitu psaltriae. Instrumentum *psalterium* s. *psaltrium.* Pseudo-Cic. de Har. Resp. §. 44. Quintil. I, 10, 31. Ex quibus locis illud Ciceronis emendandum, quod adhuc negligentissime habitum est, Or. pro Planc. §. 86. *furialis illa vox* (Clodii) *nefariis stupris, religiosis altaribus effeminata.* Lege, *religiosis psalteriis.* HEINRICH. Cod. Sang. *impudices discribuntur* — — *lassare. Baptae autem molles* etc. Valla: *baptae comoedia inquit* (Probus) *fuit in qua eupolis inducit viros athenienses* — — *lassare psaltriam cotyton, cotytos apud athenienses psaltria quam effoeminati colunt noctu illam adeuntes. Baptae titulus libri quo impudici describuntur.* Et mox: *Baptae. molles quo titulo eupolis comoediam scripsit ob quam alcibiades quem*

praecipue perstrinxerat necuit ipsum in mare praecipitando dicens ut tu me in theatris madefecisti: nunc ego te in mari madefaciam. Quae postrema Vallam non verisimile est in Probo suo reperisse, sed mutuatum esse a Scholiaste Aristidis III. p. 144. Dind., ut recte censet A. Meinekius Hist. Crit. Com. Graec. p. 119. Protulit Iac. Geelius Bibl. Crit. IV. p. 18. e codd. Lugdunensibus alia ad h. l. scholia vetera, quorum primum hoc est: *Cocitos dea fuit atheniensium quam solae feminae colebant quam post saltriam exercebant et lassabant in iisdem sacris. psaltria autem vocabatur turpis exilitio quam agebant. Babtae grece vocantur molles et evirati. Sicut inquit romani perverso ordine colunt bonam deam ita quondam athenienses inique colebant cociton et psaltriam etiam agebant. Nam athenienses turpiter aliquando vixerunt. — Babtae dicuntur molles et effeminati quo titulo eupolis et aristophanes comediam scripserunt in qua inducunt athenienses viros ad imitationem feminarum colere cociton i. e. psaltriam deam atheniensium quam effeminati colunt. — Talia colunt inquit viri in templo bonae deae qualia olim faciebant athenienses in templo cocitae deae suae.* Verba, quae initio leguntur, corrigi possunt e Papiae Glossis, a Burmanno Anthol. Lat. I. p. 477. laudatis. Alterum scholium sic habet: *Baptae molles quo titulo eupolus comediam scripsit in qua inducit athenienses viros ad imitationem feminarum lassare psaltriam. Cociton autem dea est apud athenas quam colunt effeminati.* Hinc an opis aliquid scholio insigni et praestantium virorum curis nobilitato afferri possit, videant me acutiores. Nam quod Heinrichius remedium attulit, vereor, ut satis efficax habeatur. Illud vix opus est ut moneam, verb. *Baptae — necatus est* alterius commentatoris esse, ita ut *ergo* deleri oporteat. Schopen.

95. *drillopotae.* Proprie *drilopotae*, a δρῖλος. Iacobs. ad Anthol. II, 2. p. 443. Salmas. in Capitolin. p. 129. D. ex coque Vossius Etymol. p. 548. et iterum p. 549. Ruhnken. Auctar. Hesych. T. I. p. 1024. 18. Heinrich.

97. *polita, tenuiter rasa.* Lege ordine inverso: „*rasa*, tenuiter polita". Schopen.

98. *quomodo solebant ancillae Neronis adulantes.* Pro corrupto *Neronis* lege ex Valla *matronis*. Idem.

99. *liniret*, pro lineret. Oudendorp. ad Sueton. p. 792. Casaubon. ad Spartian. p. 10. D. Pro *Bebriacum Campaniae* corr. Lips. in Tacit. Hist. II, 23. *Bedriaci campum.* De *Pompeio Planta* vid. Reines. Epist. ad Rupert. p. 113. Cren. Animadvv. P. X. p. 88. Heinrich. Valla: *hunc vitae eius comparabilis vitellius bello civili confecit apud vicum bebriacum: quod bellum descripsit cornelius tacitus: post cornelium vero ut Probus inquit pompeius planta qui ait bebriacum vicum distare a cremona viginti milia passuum.* Schopen.

Ibid. *pelles Bebrinae.* Vid. Schurzfl. Lacerda Adverss. sacr. c. 39. n. 4. Beckmann. Symbol. ad Hist. Invent. T. V. p. 61. Heinrich.

106. *Bebriacos campos.* Recte Valla: *bebriacus campus.* Dein lege cum Cramero *exercitu Vitelliano.* Idem in seqq. pro *Occiso vili principe* male *Occiso vili illo* aut *Occiso vero illo.* Repone: *Occiso Galba principe.* Nimirum novum hinc incipit scholium. Schopen.

112. *fanaticus albo: libido sine reprehensione.* Mira corruptela, sed magis etiam mira emendandi ratio, quam Cramerus iniit. „An, inquit, *sine repraesentatione*, i. e. sine sui intellectu et ratione?" Melius ego mihi locum sanare videor scribendo: *invidiosa reprehensio.* Pertinet annotatio ad voc. *fanaticus*, quae invidiose hic in malam partem posita dicitur. Eandem sententiam Valla paullo clarius sic exprimit: *Phanaticus phani custos sed irrisorie cum phanaticus furore daemonico dicatur pollutus.* Idem.

118. *cornu.* Acumen absurdum, nec tamen indoctum. Sic Graeci luserunt in voce κέρας. Heyn. ad Hom. T. VI. p. 187. Archilochi Reliquiae p. 229. Heinrich.

121. *quo emendet aut quo expiet.* Lege utrobique *qui.* Schopen.

124. *Segmenta: profusae vestes* etc. Haec ita scribenda sunt: „*Segmenta*: fimbriatas sive vittatas vestes. *et longos*: profusas vestes. *flamea*: quibus novae nuptae cooperiuntur". Emendarunt Salmasius ad Vopisc. p. 404. C. et Ferrar. de Re Vest. III. c. 17. T. VI. p. 755. Thes. Graev. Idem.

132. *quem negligis: quidam dicit* etc. Aliud lemma praefigendum est, hoc: *officium cras.* Antecedentis scholii verb. *pro illius fuga* recte Cramerus correxit *post illius fugam.* Idem.

133. *ad invidiam dixit.* Nam in colle ad aedem porticus erat negotiis et hominum frequentia celebris. Vid. Nardin. p. 1096. B. T. IV. Graev. et correctorem Borrich. ibid. p. 1555. D. Heinrich.

141. *quae permixta potui fecundam mulierem de sterilitate facit.* Lege cum Valla *de sterili facit.* Schopen.

142. *Steriles mulieres* etc. Prior huius scholii pars sine melioris libri ope vix videtur sanari posse. In altera parte Salmas. ad Spartian. p. 48. C. verissime: *palmas ideo dicit, quia aut catomis caedebantur.* Vid. Gronov. Obss. p. 673. et Heinsius ad Ovid. Fast. V. 102. Minus feliciter idem in seqq. pro *aut quia manibus vapulant cunei per civitatem* coniicit: *aut quia man. vapulabant cincti per civitatem.* Aliorum commenta referre taedet. Valla ad verba *Palmas praebere luperco* haec annotat: *aut enim osculabantur aut manibus vapulabant a luperco: quae volebant concipere.* Unde suspicio mihi oborta est, ita scribendum esse: *aut quia manibus vapulabant concipere cupientes.* Quae in extremo addita leguntur: *tunc et in solio si qua post ipsum descenderit statim concipit*, ea et ipsa foede contaminata sunt. Cuius rei vel hoc indicium est, quod *ipsum* non habet, quo referri possit. Cod. Sangall. *post ipsam descenderit.* Valla: *dicitur ut Probus ait et solio siqua post ipsum descenderit statim concipere.* Corrigo: *Dicunt et in solium si qua post lupercum descenderit, statim concipere.* Scribebatur *lupercum* olim, ut in Vallae editione etiamnunc visitur, per compendium

lupeum. Id fraudem librario fecit. Formula *in solium descendere* rursus infra ad VIII. 85. Item apud Celsum I. 3. IDEM.

143. *tanquam infames tunica* etc. Lege *tanquam infamis tun. utebatur. Hinc lanistae velut dissoluti dic.* Saltem ut contemtissimi. Apud Tertull. de Pallio p. 23. *vespillo, leno, lanista* consociantur. Spartian. p. 9. C. *leno et lanista. Lanistae* impii, loco exsignato a Cerda Adverss. Sacr. c. 89. n. 2. Lips. Saturnal. I. c. 15. Poeta ipse Sat. VI, 216. *lenonibus atque lanistis.* HEINRICH.

144. *Gracchi filius habitu gladiatoris plerumque ad infamiam equabat.* Fortasse: *plerumque infamiam iactabat*, aut: *habitum — ad infamiam usque iactabat.* IDEM. Mihi totus locus ita videtur scriptus fuisse: *Gracchus, Salius, habitu gladiatoris plerumque ad infamem depugnabat.* Schol. ad 126.: *Gracchus — qui aliquando Salius Martis fuit.* Mox *ad infamem* idem significat, quod 143. dixit *tanquam infamis.* Comparationis enim hic est *ad*, ut supra *in*, Graeco more, quem Latini, posteriores praesertim, imitati sunt. Vid. Salmas. Exerc. Plin. p. 200. A. 847. F. Gronov. Obss. p. 581. Denique verbum *depugnare* proprie dicitur de gladiatoribus. Drakenborch. ad Liv. VI. 3. 9. Ruhnken. ad Sueton. Caes. 39. p. 62. ed. Geel. SCHOPEN.

147. *nobilibus, non Neroni.* Fortasse sic: *His: nobilibus. ipsum: Neronem.* HEINRICH. An simpliciter *nobilibus Neronem?* SCHOPEN.

148. *quia et Gracchus minor pugnavit.* Hoc *minor* sanum esse nequit. Valla: *Cuius tunc raetia misit. hic Probus gracchus inquit gladiator munere neronis pugnavit: et nero ipse pugnavit gladio et in scaena cantavit et auriga fuit.* Hinc corrigo haud dubitanter: *quia et Gracchus munere Neronis pugnavit.* IDEM.

149. *'Εκφώνησις.* Sic pro *'Εκφωνή. Cic.* egregie Koen. ad Gregor. p. 21. Voc. Latinum alius adscripsit. HEINRICH.

150. *Et pontum.* „Legendum: *Et contum.* Etiam in

Virgilio, quem male producit Vetus Scholiastes". C. Barth. ad Stat. Thebaid. XI. 571. IDEM.

152. *quia pueri non dant balneaticum.* Laudat, tanquam Probi, Casaub. ad Theophrast. Charact. c. 9. extr. *Balneaticum*, *ἐπίλουτρον* apud Lucianum. Glossae: *Balneaticum*, *βαλανικόν*. IDEM. Valla ita: *Aere lavantur. quia pueri gratis balnea intrabant quamdiu fuissent impuberes ut ait Probus.* SCHOPEN.

155. *ubi Hannibal omnem exercitum R. occidit, victus Paullo et Varrone consulibus.* Cramerus: „Lege, *victor*". Immo corrige *victis*. IDEM.

156. *quae in bello.* Cod. Sangall. *bellis* rectius. Scribe, mutato ordine: „*Tot bellorum animae*: quae in bellis occisae sunt. Lucanus: *inlustres*" etc. Respexit Pharsal. VI. 786., ubi tamen rectius hodie *Lustrales bellis animi*. Vid. Cortium. IDEM.

SAT. III. v. 2. *Cumis: qua Sibylla* etc. Lege *quia*. Pertinet glossula ad vers. seq. *atque unum civem donare Sibyllae*. IDEM.

10. *migrantis rei familiaris.* Scripsit: *res familiaris*. IDEM.

11. *ubi solent Procoss. iurare.* Praesidum in munere adeundo iurisiurandi exempla multa extare in Iuris disciplina, et ad ultima tempora mansisse id institutum, formulam adeo praescriptam a Iustiniano Novella VIII., Cramerus me docuit. Num igitur putabimus, eos, ut nunc in Schol. est, iurasse extra portam? Immo lege *salutare*. Vid. ap. Festum: *Praetor ad portam nunc salutatur.* (Ibi corrig. *cuius rei originem*, vel *ortum*.) Hic mos salutandi praesides e provinciis reversos ad portam, atque in urbem deducendi, quarto etiam et quinto saec. servatus. Vid. Liban. Vol. III. p. 205. Idem solitum in provinciis: vid. Reiskii not. ibid. p. 190. *ἀπαντήσεις*, Cic. ad Attic. 8, 16. *occursus*, Ulpian. in Dig. I, 16, 4. §. 3. HEINRICH.

17. *concubium.* Lege ex cod. Sangall. et Valla *connubium.* Respicit Ovid. Fast. III. 276. *Illa Numae coniux consiliumque fuit.* In seqq. idem Valla rectius *praedae*, non *pugnae*. SCHOPEN.

20. *nec ingen. viol.: quia non* etc. Lemmata melius Valla sic: *Dissimiles veris. quia non erant naturales sed manu confectae. Quanto praestantius. melius si natura sua essent nymphae quam marmoribus exornate nec a flagitiosis hominibus polluerentur.* IDEM.

23. *de ipsa parva.* Lege *de ipsa re parva.* Quod addidi, est apud Vallam. IDEM.

29. *ignobiles et sordidi ac malis artibus viventes homines, qui ex sordidis rebus divites sunt facti.* Cod. Sang. post *homines* addit, teste Orellio: *vult intelligi.* Perspicuum est, duas hic esse glossas, quarum prior est: *ignobiles — malis artibus viventes.* Altera: *homines vult intelligi, qui ex sordidis* etc. IDEM.

30. *Siccandam eluviem: ut publici fani cloacam.* Cod. Sang. *publifani*, Probus Vallae *ut publicani sint*, praemisso tanquam lemmate: *Facile est aedem conducere.* Recte, nisi quod illud *sint* a Valla additum videtur. Nempe breviloquentia est, Grammaticis usitata, et totus locus ita scribendus: *Facile est aedem conducere: ut publicani. Siccandam eluviem: cloacam.* IDEM.

34. *cornicines: Simphoniaci parasitorum. Parasit.* mimos et histriones vult esse Henninius in Spicileg. suo, exscriptus a Ruperto. Immo auctor glossae intellexit *cornicines comites notae buccae.* Steph. Glossae: *Buccones*, *παράσιτοι*, *βουκκίωνες*. HEINRICH.

36. *verso pollice.* Valla haec ita explicat: *fortuna immutata: id est loco imperatoris occidit gladiatores exponit Probus cum paulo ante intra gladiatorum fuisset numerum.* Probus scripsit, ni fallor, *occidunt* et *fuissent.* Mox v. 37. pro *amabilium*, *favente populo* Rutgers. Var. Lect. I. 16. recte legit *amabiliter, aut f. p.* SCHOPEN.

38. *foricas.* Tractavit hoc Scholium G. Noodt. Opp. T. I. p. 218. Guther. Off. Dom. Aug. p. 831. Cuiac. Obss. XXII, 34. Salmas. de Usuris c. 18. p. 529. qui corrigit *stercorum vectigal.* Heinrich. Valla sic habet: *Conducunt foricas. cloacas forire enim inquit Probus veteres dicebant deiicere ac dehonerare ventrem hinc forire foras eiicere: aut foricas foro vicinas tabernas: et confines: quidam vectigal vini putant: quod ex aphrica in urbem vehebatur. Alii domos publico* etc. Hinc corrigo *vectigal vini.* Deinde scribendum videtur: *forire est enim foras eiicere.* Schopen.

39. *Quales.* Valla: *τὸ ἀνακόλουθον dicere enim debuit tales et sic quales.* Idem.

54. *cum mala conscientia habeantur.* Scholium sensu caret, nisi ante *cum* addideris *ut*, quod Valla in codice suo aperte legit. Ita enim ille: *nullae inquit divitiae tanti tibi sint ut cum mala conscientia quicquam concupiscas.* Idem.

56. *ponendaque praemia* etc. Cod. Sang. *quod deponere debeas. id est abicere et neglegere. Tristis. quasi moriturus. id est que reddenda que mala arte quaesita sunt. Tristis et magno. id est ut mala scilicet conscientia torquearis ne eam accuses.* Valla: *ponenda praemia sumas. ponere debeas: id est abiicere negligere. Tristis. ut torquearis conscientia.* Hinc ita emendo: *ponendaque praemia: quae ponere debeas, id est abiicere, negligere, quasi moriturus; vel reddenda, ut quae mala arte quaesita sunt. Tristis: ut mala scilicet conscientia torquearis. et magno: id est, ne eum accuses.* Idem.

63. *rusticos tibicines, qui in obliquum tangent.* Valla aliquanto rectius: *Et cum tybicine chordas obliquas. id est rusticas vel quas tybicines in obliquum tangunt.* Idem.

65. *ad Circum: Et hoc a Graecis translatum dicit.* Nomen Circi sane translatum a Graeco *κίρκος*. Sed aliud vult interpres, et Iortinus (Tracts II. 242.) iam emendavit *a Syris.* Heinrich. *Graecis* habet etiam Valla, nec opus videtur emendatione. Schopen.

67. *ut caligulas.* Vid. Salmas. in Treb. Poll. p. 290. B. et in Tertull. de Pall. p. 272. Kollar. Analect. Monumentor. Vindobon. T. I. p. 1011. Zonaras Lex. v. Ἄλλικα. Heinrich. Lege *v e l caligulas.* Ita etiam Probus Vallae, cetera mendosus: *rechedipna inquit Probus curantium coenas vestimenta parasitica. vel caligulas graecas dicit.* Schopen.

Ibid. *currentium ad coenam.* Glossae: „*cupidicinus*, τρεχέδειπνος", pro cupidicoenus, quod ipsum in hac glossa male scribit Heinsius ad Petron. p. 361. De literis *oe* et *i* vulgo per mediam aetatem permutatis vid. Gronov. Obss. IV, 15. p. 700. sq. Salmas. in Capitolin. p. 171. C. *Cupidicoenus*, ut *laudicoenus* Plin. Epist. II, 14. dicitur, qui laudat, ut coenam mereatur: ad quam similitudinem nobis liceat dicere *scribicoenos* mercenarios scriptores, et huiusmodi plura. Heinrich.

68. *niceteria filacteria.* Vossius Etym. v. *Vinco* male explicat. *Phylacteria* non tantum magica sunt, amuleta, vel carmina (vid. Gloss. Isidor. et Dufresn.), sed περίαπτα quaevis. Vid. doctiores Exegetas Ev. Matth. XXIII, 5., ubi quae φυλακτήρια, *pittaciola* vocat Hieronymus. Ita enim apud Hieron. scribendum. Idem. Pro *victis* recte Pithoeus *victoribus.* Mox Probus Vallae: *ipse, qui coenam fert, ut sit ordo.* Schopen.

74. *Isaeo torrentior. isaeus rhetor fuit atheniensis: ut Probus inquit illius temporis cuius et tranquillus meminit alter isocratis ut ferunt discipulus praeceptorque Demosthenis ut quidam sentiunt atheniensis ut alii chalcideus sed isaeum dixisse hunc credi par est: de quo Plinius in epistolis magna isaeum fama praecesserat maior inventus est summa est facultas copia ubertas: dicit semper ex tempore sed tanquam diu scripserit sermo graecus immo atticus praefationes tersae graciles dulces graves: interdum et erectae poscit controversias plures electionem auditoribus permittit saepe et parti surgit. iam ergo incipit statim omnia ac poene pariter ad manum sensus reconditi occursant verba: sed qualia? quaesita et exculta multa lectio in subitos multa scriptio elucet pro-*

hoemiat apte narrat apte: pugnat acriter ornat excelse postremo docet delectat afficit. Haec Valla. Quae in principio usque ad *magna isaeum* leguntur, temere Cramerus scholio veteri agglutinavit, relictis ceteris, quippe valde, ut ait, corruptis. Idem.

77. *unctor.* Vid. infra ad v. 263. Heinrich.

79. *ad ultimum omnem vitam dicam.* H. Cannegieter. Obss. III, 19. corr. *Ad ultimum omnium id tantum dicam.* Optime. Idem. Mihi secus videtur. Nam duo hic sunt scholia, quorum posterius lenissima mutatione sic scribendum est: *ad summam: ad ultimum, ne omnem vitam dicam.* Schopen.

81. *Conchylia capitia purpurea ita flagrantia, ut conchylia ipsa videri possint.* Ita Valla. Vid. Ferrar. de Re Vest. II. 1. c. 23. Tom. VI. p. 814. Idem.

94. *Cum aut amicum aut uxorem.* Lege *amicam.* Idem.

96. *Dicas, inquit, in comoedi habitu non fucatam, quin ipsa, qui loquitur, mulier videatur.* Corrige: *nihil fucatum; quin ipse, qui loquitur, mulier videtur.* Idem.

97. *id est, inguina foeminea.* Lege cum Valla: *id est, inguina esse foeminea.* Idem.

98. *illius temporis comoedi.* Plenius cod. Sang. *Hi temporis illius comoedi fuerunt.* Idem.

112. *si nullus horum sit.* Lege *si horum nullus inveniatur.* Ita cod. Sang. Idem.

115. *quasi sanctioris philosophiae.* Vid. Ferrar. Re Vest. II, 12. Voc. *abolla* ex Aeolico *ἀμβόλλα*, i. e. *ἀναβολή*. Vid. Ios. Scaliger ad Festi *Bulla.* Rem acute pervidit Boettiger. apud Iacobs. Animadvv. in Anth. Gr. III, 1. p. 348. Nonnihil hic falli videtur magnus Salmas. in Tertull. de Pall. p. 60. et 365. Cf. Schneid. in v. *Ἀναβάλλω.* De littera *m* elisa vid. ad VI, 573. Heinrich. Post *philosophiae* scribe *Abolla species est* etc. Haec enim cum praecedentibus cohaerent. Alio ordine cod. Sang.: *Abolla species — pallii maioris. Ergo abollae per ironiam — philosophi.* Schopen.

117. *Apud Tarson — cuius urbis conditor Perseus.* Vid. Iacobs. ad Anthol. Gr. II, 1. p. 44., qui immiscuit Dionysii locum, ubi non de Perseo, sed de Bellerophonte sermo. Melius Brodaeus p. 3. Basil., qui istum locum ad fabularum diversitatem retulit. Cf. Huetii Notas p. 4. Locum Ammiani Marc., item laudatum a Iacobsio, correxit Salmas. Exercitt. p. 543. a. F. *urbs perspicua: Nobilis hanc condidisse Perseus memoratur.* Verba scholii corr. Martinius Lex. phil. v. *Pinna*. Burmann. ad Valesii Emendatt. p. 63. Vales. ad Ammiani XIV, 8. Heinrich. Pro *praeterfluit* Cramerus non male *perfluit*. Mox cod. Sang. *cuius urbis est conditor.* Schopen.

124. *quicquid ante obsecutus sum.* Lege *consecutus* Idem.

125. *Nusquam damnum est in cliente perdendo* etc. Plura hic exciderunt, quae sic ad sensum commodissime restituuntur: *nusquam damnum minus est in cliente perdendo, quam hic, ubi propter Graecum excluditur.* Idem.

126. *Quid, inquit, pauper* etc. Ab his verbis novum scholium incipit. Idem.

131. *in sinistra ambulat.* Vid. Lipsium Electt. II, 2. Opp. T. I. et Epist. ad Italos, T. II. p. 316. Sirmond. Not. ad Sidon. p. 165. sqq. Heinrich.

133. *donat Calvinae.* Error notatus a Lipsio ad Taciti Annal. XII, 8., qui pro vulg. *in fratrem* legit *in fratre.* Contra quem Wopkens. Miscell. Obss. Belg. VIII, 1. p. 43. accusativum exemplis defendit, cuius ego pravum iudicium non vicissim defendam. Verissime Lipsius. Idem.

136. *inde sellariae dicuntur. unam meretricum.* Cod. Sang. post *dicuntur* addit: *id est a sella.* Emendo: *deducere sella: id est, a sella. Inde sellariae dicuntur. Tu, inquit, meretricem* etc. Schopen.

137. *Hic est Scipio qui* etc. Haec vituperat Boecler. ad Vellei. p. 680. Ruhnk. Debebat videre, ista non esse eiusdem, qui reliqua scripsit, sed alius indocti hominis scholium. Heinrich.

138. *L. Metellum dicit.* Cod. Sang. *Lucilium dicit Metellum.* Male, iudice Cramero. At haec tamen lectio veri indicium continet. Quippe legendum: *L. Caecilium Metellum dicit.* Vid. Liv. Epit. 20. Glandorp. Onom. p. 167. Quae post verb. *caecatus est* leguntur, aliunde assuta sunt. Schopen.

143. *Quantum habeas*, praeeunte Dousa, dedi; sed vulgatum *Tantum habeas* recte se habere, persuasit C. F. Hermann. Spicileg. Annot. in Iuvenal. a. 1839. p. 26. Idem.

145. *pauperi enim, quasi.* Ita rectius cod. Sang. Idem.

150. *sutriballo.* Vid. Lindenbruch. in Virgil. Moret. p. 302. Heinrich.

155. *reditus.* Hoc scire melius, haud difficile est. Notavit D'Arnaud Coni. II, 13. Sed transmisit sine animadversione Bentlei. ad Horat. Epod. IV, 16. Idem.

158. *quia pinnas in galeis habebant.* Legendum *rapiebant.* Papias: *cristatus, galeatus, id est, zabatus. Cristae sunt pinnae super galeam positae.* Vid. Io. Ianuens. in *Pinnirapus.* Isidori Glossa, quae non melior fit, quum legitur *secutores* cum Lipsio, Saturn. II, 11., Graevio, Gesnero et Lacerda Adv. Sacr. p. 336. Corrigo omnino: *Pinnirapi, secta gladiatorum*, etc. Vet. Onomast.: *Pinnirapus, πτερυγολάβος.* Vid. Fernand. de Castro Thes. Iur. Meerm. T. II. p. 367. Rutgers. Not. ad Appulei. p. 13. Elm. Lucilianum auctius apud Donat. ad Terent. Phorm. I, 3, 11. Idem. Scripsit fortasse *Pinnirapus autem dicitur lanista.* Et mox *Aut ideo pinnirapi, quia* etc. Schopen.

162. *in curia non suscipitur.* Lege *curiam.* Idem.

170. *Vel a colore* etc. Legendum videtur *Veneto: a colore, aut provincia.* Idem.

172. *supra lectum.* Haec audacter explodit Mazochius Comment. in Campan. Inscriptt. p. 591. Poleni T. V. Heinrich.

174. *notum Exodium: devotio. non novum aut exquisitum.* Orellius vere sic emendat: *Maiestas: devotio. notum: non novum aut exquisitum.* Schopen.

175. *Exodium.* De hoc scholio vid. Salmas. in Vopisc.

p. 384. F. Multo minus bene Vossius in Etymol. p. 200. Casaub. de Sat Rom. p. 184. sq. Lydus de Magistratib. I, 40. comoediae genera tradens: *Ἀτελλάνη δέ ἐστιν ἡ τῶν λεγομένων ἐξοδιαρίων.* In marmore Romano edito a Marco Velsero Monum. August. in fi., Opp. p. 404: *Cuius nunc libenter dicor exodiarius.* It. Gruter. p. 637, 1., de quo monumento vid. Reines. Epist. ad Rupert. p. 168. sq. H. Vales. ad Ammian. Marcell. XXVIII, 4, 33. Reisk. ad Constant. Ceremon. p. 32. b. Heinrich. Scholium, ut vulgo legitur, corruptum est. *Cogere lacrimas et tristitiam ex aliqua re*, vereor, ut Latine dicatur. Nec est in cod. Sang. *coegissent*, sed *quae exissent.* Unde Orellius legendum censet *collegissent*, minus probabiliter. Ego totum locum sic emendo: *Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quo ridiculus foret, et quicquid lacrimarum atque tristitiae concivissent ex tragicis affectibus, huius spectaculi risus detergeret.* Ipse Virgilius *lacrimas ciere* dixit Aen. VI. 468. De versu Luciliano vid. Hermann. Elem. D. M. p. 348. Schopen.

180. *possunt et singula pronuntiari.* Valla: *possunt et singula per se pronuntiari.* Quod praeferendum videtur. Idem.

184. *tunc, tempore suo vilem et superbum.* Lege *illius temporis nobilem et superbum.* Pertinet Glossa ad v. *Cossum*, ut recte vidit Cramerus. Idem.

185. *ut salutatus, tamen vel respicere dignetur.* Malim *ut salutantem vel respicere dignetur.* Valla: *qui ne respicere quidem salutantem dignatur.* Idem.

188. *dulcium malum.* Fuit, cum *edulium malum* legendum putarem. Verum mox in viam me revocavit Salmas. ad Script. Hist. Aug. p. 416. B. Quem si Cramerus inspexisset, non depravasset locum ita interpungendo: *dulcium, malum.* Vid. Schol. ad VI. 203. et 631. Papias: *Dulcia dicuntur genera pistorii operis a sapore sic nominata.* Idem.

Ibid. *si fueris salutatum.* Cramerus coni. *si iveris.* Mihi scribendum videtur: *si admissus fueris salutatum.* Idem.

189. *cultis: bene vestitis; quippe festo die suo servis* etc.

Lege ex cod. Sang.: *praestare tributa: id est, servis donare cogimur, ut admittamur ad salutationem dominorum. Cogimur et cultis: bene vestitis, quippe festo die suo.* Idem.

192. *ut Horatius: clivumque supinum.* Vid. Bentlei. ad Hor. Epod. I, 29. Heinrich.

199. *ex Virgilio.* Lege cum cod. Sang.: *ut Virgilius.* Schopen.

200. *a prima scala. ut si.* Lege: *a prima scala; id est, si.* Idem.

202. *quia parietes texti rari et ruinosi perflant.* Ita Valla, non, ut Cramerus edidit, *perfiant.* Nec tamen dubito, quin Probus ipse scripserit: *parietes tecti rari et ruinosi perpluunt.* Vid. Bentlei. ad Terent. Eun. I. 2. 25. Heinrich. ad Iuvenal. XIV. 196. Vol. II. p. 486. Idem.

Ibid. *quia super tecta columbaria fiunt.* Post haec verba Schurzfl. codex addit: *Columbarium fit, ut testudo, magna camera tectus, uno ostio angusto, fenestris latioribus utrinque et reticulatis ut locus omnis sit illustris, ne quis serpens, aliudve quid animal maleficum introire queat.* Quae ex Varrone de Re Rust. III. 7. 3. depravata sunt. Vid. Schneider. ad h. l. p. 524. Idem.

204. *Delphicam.* Glossae: *Abacus, Delphica, μινιστέριον, ὡς Ἰουβενάλιος.* Ibi Notae Vulcanii. Corruptam ponit Pithoe. ad h. l. et Cuiac. Obss. X, 13. Casaub. in Hist. Aug. p. 166. B. Gesner. Thes. v. *Delphicus.* Gruter. Inscriptt. MCXV. 8. *delphica aerea* etc. Brisson. de Verb. Signif. v. *Delphica.* Valckenaer. Animadvv. ad Ammon. p. 2. Grammatici explicationem vocabuli ἄβαξ recte defendens: „Egregia est, inquit, in rem nostram *Dosithei*, MS. in Bibliotheca Lugd. Batava, Glossa: "*Ἄβαξ, caliclare.* id est κυλικοφορεῖον, sive κυλικεῖον, *vasarium, Delphica*". De illo Bibliothecae Leidensis Codice vid. Valckenaerii Schediasma in Opuscul. edit. Lips. Tom. I. Salmas. Obss. ad Ius A. et Rom. p. 487. sqq. Heinrich. Cod. Sang. *delficum appellamus.* Valla: *Ornamentum abaci. genus*

fuit inquit Probus supellectilis pro quo nunc mensam delphicam dicimus. Schopen.

205. *recubans enim a posteriore parte recumbens Hippocentaurus fingitur.* Cod. Sang. *enim et a posteriore.* Scribe: *recubans enim, id est, a posteriore* etc. Idem.

207. *Opizein Graeci.* Lege ὀπικίζειν. Glossae: *Apicus*, ὀππικιστής. Lege *Opicus*, ὀπικιστής. Usus est hoc schol. Iacobs. Animadvv. in Anthol. Gr. II. 1. p. 232. cf. Not. in Anth. Palat. p. 79. sq. Heinrich.

210. *frustra rogantem. barbarismus in metro ut inquit Probus est non ut quidam legunt frusta sed frustra.* Haec Valla addit. Schopen.

212. *horrida mater: id est divitis mater. a parte totum, id est matronae.* Lege *aut a parte totum* etc. Quod sequitur *Item horrida mater*, novum est glossema. Idem.

214. *non incendium laris nostri, aut prae tristitia aut propter casum* etc. Hoc scholium viri docti frustra coniecturis tentarunt. Vera lectio extat apud Vallam, qui ita habet: *Odimus ignem. non incendii sed laris nostri ut prae maesticia ne focum quidem apud nos incendi patiamur. hoc enim apud lugentes ait Probus observatum ut ignem non paterentur incendi.* Hinc corrige: *non incendii, sed laris nostri*, scilicet *ignem.* Cetera, ut vulgo leguntur, sana sunt; nisi forte pro *aut prae t.* legere mavis *et prae t.* Idem.

218. *superstitiose gentem nominavit.* Fortasse: *superstitiosam gentem notavit.* Idem.

219. *armariam.* Lege *armarium.* Idem.

221. *quasi divites.* Lege *quasi divitem.* De scholio vid. Bentlei. ad versum Terentii, Adelph. V, 7, 17., ubi pro edito *Babylonias* reponit: *Babylo XX. minas.* Heinrich. *Persicum quasi divitem* habent cod. Sang. et Valla. Schopen.

222. *succendisse domui suae.* Lege *domum suam.* Idem.

231. *dixit lacertos.* Probus Vallae melius *dixerit.* Idem.

234. *tabernae, ab eo qui mercedes praestat.* „Valla, inquit Pithoeus, *quia merc.*" Immo totum scholium ita apud

Vallam legitur: *Meritoria. id est tabernae quae labore mercedem promerentur.* Scribendum videtur: *ab eo quod m e r c e d e p r o s t a n t.* Idem.

235. *ut magno pretio.* Lege *a u t m. p.* Reliqua sana. Heinrich. Valla *vel* habet, quod centies in *ut* depravatum est. In praecedentibus scribe cum cod. Sang.: *vicinis.* Valla *vicinis tabernis.* Schopen.

237. *mandrae locus* etc. Valla ita: *mandra inquit Probus est hostium vici vel flexum vel arctum aut breve et vile aedificium quod angustet latitudinem vici: vel ingens vehiculum quo trabes portantur.* Cramerus ista in textum recepit. Idem.

240. *Liburno.* Duae sunt glossae. Prior: *lectica magna L i b u r n a t a.* Vid. Schol. ad VI, 477. Altera: *l e c t i c a gerulo Liburno.* Heinrich. Mihi verba ita videntur scribenda esse: *Liburno: a u t lectica magna Liburnata, a u t gerulo Liburno.* In Iuvenalis versu pro *Liburno* lege *Liburnus.* Pithoeus et cod. Sang. *Liburnos.* Schopen.

251. *alii genus navis.* Vid. Gesner. Thes. v. *Corbita,* et Reimar. ad Dion. p. 1016. l. 9. Heinrich.

255. *vehicula; nam materias portantia euntibus impediunt.* Lege: *vehicula n a m materias portantia euntibus i m p e d i m e n t o s u n t.* Particula *nam* saepissime in his Scholiis postponi solet. Schopen.

260. *minutatum, concisum.* Scribe *m i n u t a t i m concisum* Idem.

263. *capsarii.* Vid. Savaro ad Sidon. p. 289. Reines. ad Inscriptt. p. 266. Cuiac. Obss. V, 8. Salmas. in Trebell. Poll. p. 292. B. Dorvill. ad Charit. p. 469. Quod sequitur *xystram,* est Graec. *ξύστραν.* Erant aliptae, unctores: Pignor. p. 45. *iununctores,* quae vox scripta in Digest. l. ult. De verb. signif. l. 203. extr. cum lineola compendii *iunctores,* inauditum peperit genus servorum, a *iungendo,* ad iuncturam et iumenta ab ipso Cuiacio vocatum, Obss. XIV, 3. V. Brisson. v. *Iunctor.* Heinrich. Valla: *striges inquit Probus dicuntur quas ha-*

bent capsarii vel candelae tridentem dicit. Et mox *Pleno componit lintea gutto. guttus inquit Probus in quo oleum mittitur dictus quod guttam mittat.* SCHOPEN.

266. *Carinam.* „Lego *Charontem.* et quod addit, *non angustum traiectum,* id est, non *πορθμόν*". Verissime Pithoeus; nisi quod *Caronem* rectius Burmann. Anth. Lat. II. p. 41. HEINRICH. *Caronem,* sine aspiratione, habet etiam Valla. Vid. Muncker. ad Hygin. p. 48. SCHOPEN.

267. *solent in ore nummum immittere.* Vid. Ti. Hemst. ad Lucian. T. I. p. 422. Hic nihil suspicatur de illo *apud Athenienses,* quod mihi corruptum videtur. Vide, quomodo Schol. Virgilii *inopem turbam* accipiat, longe aliter atque Commentatores. HEINRICH.

274. *putas periculum sustinere.* An *putaris?* SCHOPEN.

277. *conchas.* Vid. Schulting. ad Pauli Sentent. III, 6, 56., ubi *pelves, conchae* iuxta dicuntur. HEINRICH. Transpone: *conchas, a u t vasa fictilia, in quibus pedes lavant, ποδόνιπτρα.* Cod. Sang. habet *aut.* SCHOPEN.

279. *moestus fuit pro Patroclo, quando occisus est.* Emendo *p r o p t e r Patroclum.* IDEM.

283. *coccina laena* etc. Tractatum a Burmann. Anthol. Lat. II. p. 407. sq, sed parum recte. Legendum: „*coccina laena*: purpurea, qua divites olim utebantur. Virgilius: *varioque ardebat murice laena.* (Aen. IV, 262., ubi est *Tyrioque.*) Antiqui amphimallum laenam appellabant. Quod Graeci coccum, Latini veteres birrum vocarunt". Formam *birrum* satis Glossaria tuentur apud Burm. E *πυῤῥόν,* burrum et birrum. Postrema: *Quod Graeci* etc. non puto ab eodem adscripta, qui antea coccinum pro purpureo acceperat. Vide de postremis Salmas. in Vopisc. p. 514. D. *amphimallum,* non, ut quidam voluerunt, *amphibalum. ἀμφίμαλλον χιτῶνα,* i. e. *μαλλωτόν.* Schneider. Lex. Gr., Hesych. et Pollux. Ferrarius apud Hennin. sua legit apud Salmas. in Vopisc. p. 398. D. Eadem vox videtur latere in Glossa Lex. Rhet. MS. ap. Ruhnken. Timae. p. 129., ubi in fine: *ὥσπερ ἐφεστρίδα.*

ὅπερ καὶ μᾶλλον. Lego: ὅπερ καὶ ἀμφίμαλλον. Sunt vestes bicirres s. bivilles, δίμαλλοι, in Glossis apud Salmas. in Capitolin. p. 128. A. Heinrich. Cod. Sang. *coccina laena. laena quod divites olim utebantur coccina purpurea dixit.. ut Virgilius.* Valla sic habet: *coccina laena. id est purpurea: sic Virgi. tyrioque ardebat murice laena. quod graeci coccum latini teres byrum vocarunt inquit Probus.* Schopen.

287. *candelae papirum.* Vid. Plin. apud Salmas. Exercc. p. 705. a. G. I. F. Gronov. Observatt. in Scriptt. Ecclesiast. c. V. p. 54. Forcellin. v. *Candela.* Du Cang. Gloss. Gr. v. Ἀπτρήν. Brunck. ad Aristoph. Concion. 1035. Heinrich.

289. *Terentius*: Adelph. II, 2, 5., sed *defessi*, pro quo Schol. recte *defecti.* Vid. N. Heinsius ad Ovid. Fast. III, 674. Idem.

296. προσεύχεσθαι *enim Graece* etc. Haec luxata sunt. Lego: *Proseucha: locus Iudaeorum, ubi orant.* προσεύχεσθαι *enim Graece orare dicitur.* Hinc nova incipit Glossa. Voc. *et*, quae vulgo ante *proseucha* legitur, omittit cod. Sang. In antecedentibus idem *vivunt.* At *solebant*, quod proxime positum est, exigit *vivebant.* Schopen.

315. *Umbrici verba.* Lege ex cod. Sang.: *Umbricii scilicet verba.* Idem.

Sat. IV. v. 1. *ut crimina ipsius dicam.* Tolle *ipsius.* Heinrich. Immo duo sunt scholia, quorum alterum incipit a verb. *ut crimina.* Schopen.

2. *Sesenus.* Repertus hic est iam dudum *Sisena* vel *Sisenna*, ad eumque haec relata, inter Fragmm. Histor. Lat. T. II. p. 375. Sallust. Haverc., sed ex Servio; errore, ut opinor: nam ubi extet apud Servium, nescio. Scripserat Milesiaca et Historias. Vid. Heins. ad Ovid. Trist. II, 413. Ruhnken. ad Vellei. p. 101. Savaro ad Sidon. Epist. p. 532. Vitium est *non dignus*, et pro hoc scribendum *condignus.* Aliter nemo intelligit, quid verba ista valeant ad hunc locum. Forma

adingerere proba. Liv. XXII, 4. *adinsurgere*, ubi vid. Drakenb. Apud Suet. Caes. 86. I. Gronovii certe non spernenda coniectura *adinsectantium*. Columellae usitatum verb. *adobruere*. Postrema sunt aliud scholium, illo longe verius, confirmatum ab H. Vales. in Harpocrat. p. 117. b. Heinrich.

9. *Nero.* Bene Vir doctus in Obss. Miscell. Vol. X. p. 411. totum hoc scholium, ad fidem Ms. sui, refert ad vers. 38.; ubi Scholiasta alter Neronem, ut debuit, omisit. Schopen.

10. *vivae in parietibus struebantur.* Capitolin. p. 96. A. Macrinus „vivos etiam homines parietibus inclusit et struxit". Vales. in Harpocrat. p. 44. Grotius Florum spars. p. 258. Heinrich.

13. *non ea obiiciens.* Haec et sequentia Rutgers. V. L. I. 16. referenda putat ad vers. 11., hoc modo: *Sed nunc de factis levioribus: non ea obiiciemus, quae in eum turpissima sunt.* Frustra. Valla: *Nam quod turpe bonis tyrio serioque decebat crispinum. bonis quod boni essent: aut hos laudat comparatione crispini quid agas cum dira et foedior omni crimine persona est nisi obiicias quod in ea turpissimum est.* Cod. Sang. *Irrisive hoc laudat.* Scripsit: *irrisive hos laudat, comparatione Crispini bonos dicens. Quid agas: nisi ea obiicias, quae in eo turpissima sunt.* Ita locum etiam Britannicus intellexit. Schopen.

16. *sex librarum.* Vid. I. F. Gronov. de Pecunia vet. l. III. p. 355. Heinrich.

21. *specularibus.* Vetus Schol. Vossianus ad h. v. laudatur a Gesnero Thes. v. *Basterna.* Eodem respexit Salmas. ad Lamprid. p. 190. Idem. Cod. Vossianus, teste Burmanno ad Anthol. Lat. I. p. 625., sic habet: *Quae vehitur clauso. id est, clauso ostio basternae. est enim speculare basterna, id est vehiculum, unde speculabantur matronae residentes. clauso antro dixit pro clausis fenestris.* Schopen.

22. *non potest dici luxuriosus et heredipeta ventris suae cultor.* Transponendo sensus restituitur, sic: *non potest heredipeta dici. Luxuriosus et ventris sui est cultor.* Idem.

23. *Apicius.* Vid. Casaub. in Lamprid. p. 150. D. Ryckius ad Tacit. Annal. IV, 1. Ernest. ad Fabric. Bibl. Lat. T. II. p. 470. not. Barth. Adverss. XXXIV, 18. id. XXXV, 14. Heinrich.

24. *cartapola.* Lege *chartopola.* Lex. Graeco-Lat. Steph. χαρτοπώλης, *chartuarius.* Cod. Sangermanensis: *chartarius.* Recte. Illud est ex pronuntiatione, ut *tignuarii,* pro *tignarii,* passim apud Gruter. in Inscriptt. Vid. Dufresn. v. *Chartarius.* Idem. Schurzfleischii codex ita: *Biblo Nilotica. Fuit Crispinus iste Aegyptius ex Alexandria, ea praepositura, quam papyri venditores habitabant, in qua papyrus nascitur in Nilo* etc. Hinc redintegrandum est scholium vulgatum: *biblo Nilotica. Fuit nam Crispinus iste Aegyptius ex Alexandria, ea praepositura, quam papyri venditores habitabant. Sicut vult Iuvenalis* etc. Verba *papyrus nascitur in Nilo* alius adscripsit. Schopen.

26. *Apulia carius agros vendit.* Ita vere Pithoeus. Nempe explicat Schol. aliam lectionem *maioris.* Proxime cum Schurzfl. leg. *aut maioris pisces vendit.* Extr. *aut ironia.* Heinrich. Probus Vallae *et ironia est.* Schopen.

27. *Amphibologia* etc. Recte Schurzfl. *amphibolia* et *mullos* legit. Quod idem in seqq. coniecit: *ut per anastrophen,* legitur etiam apud Probum Vallae. Idem.

28. *quantas, inquit, epulas piscis ipse consumpsit.* Lege: *princeps ipse.* Mox recte Cramerus *Et figurate tot sestertia partem exiguam dicit.* Idem.

33. *facta de merce siluros: id est fracto vase sardarum eiusdem municipii, unde ipse, Aegyptius.* Haec ita scribenda sunt: *fracta de merce siluros: id est, fracto vase sardarum. municipes: eiusdem municipii, unde ipse, id est, Aegyptios.* Voce *sardarum* interpretatur *siluros.* Vid. Salmas. Exerc. Plin. p. 942. F. Idem.

34. *licet et considere: aut summisse dicere, aut proprie, res tenues dicere.* Cramerus: „Si *considere* habuit Schol., velim exponat aliquis, qui dicere potuerit, illud *proprie* esse,

res tenues dicere. Igitur aliud quid legisse eum oportet". Miror, virum eximium non vidisse, duas hic glossas latere, et scribi oportere: *licet et considere : aut summisse dicere, aut proprie. considere: res tenues dicere.* Idem.

38. *Ultimum autem* etc. Errat cum Appiano. Vid. Casaub. in Suet. Galb. init. Heinrich.

Ibid. *Valerius Martialis.* Vid. Burm. Anth. Lat. T. I. p. 237. verissime iudicantem de auctore epigrammatis, quod Martiali tributum est, ut tot alia incertorum scriptorum. De sententia versuum vid. Salmas. in Trebell. Poll. p. 326. F. Idem.

39. *piscis formae magnitudo.* An *piscis enormi magnitudine?* Schopen.

40. *ante templum, id est, Veneris.* Transpone: *id est, ante templum Veneris.* Idem.

42. *Sallustius* etc. Vid. Lips. ad Tacit. Ann. XII, 63. Heinrich.

44. *quia sunt* etc. In cod. Sang. ita legitur: *Qui sui ut nullo exercitio pin̈guiores própter hiemem.* Unde Orellius verissime: *quia fiunt nullo exercitio propter hiemem pinguiores.* Schopen.

46. *ironia.* Cod. Sang. sic habet: *Pontifici summo. he-*
vel te
ronia domitiano ex heronia summo. Nonnulla, ut saepius in hoc codice, vitiose iterata sunt. Lego: *pontifici summo: ironia, Domitiano scilicet.* Idem.

47. *non solum fora.* Valla: *et littora ne dum fora.* Idem.

53. *Palfurius.* Vid. Sueton. Domit. 13. De *Mario Maximo* Casaub. in Spartian. p. 6. Voss. de Hist. Lat. p. 178., qui haec de Palfurio ex Maximi Vita Traiani esse putat. Heinrich. Valla: *palfurius sura: ut inquit Probus consularis viri filius sub nerone luctatus est cum virgine lacedaemonia in agone postea a vespasiano summotus e senatu transiit ad stoicam sectam in qua cum eloquentia praecelleret domitiano familiaritate coniunctus delationem acerbissime exercuit*

sed interfecto domitiano accusatus est a senatu et damnatus. Reliqua desunt. IDEM.

56. *Ne pereat.* Duo sunt scholia. Alius adscripserat *fisco;* alius, a sententia aberrans: *quod iam distrahi non potest.* HEINRICH.

Ibid. *cedente pruinis: hieme. Corrumpi ab aestu non poterat, quia autumno decedente hiems venit.* Dele punctum post *hieme.* A verbis *quia autumno* alterius, ut apparet, Scholiastae interpretatio incipit. SCHOPEN.

57. *per autumnum nam vigilant morbi.* An *pullulant?* IDEM.

61. *Romani* etc. Narrationem ex Liv. I, 31. ortam esse, ante Rupertium iam Schurzfl. dixerat, sed perperam: nam res apud Livium alia. Vid. Lipsium de Vesta et Vestal. c. 2. Opp. III, 603., qui ibi egregie. Rupert. unum bene: *diruissent,* pro *deseruissent.* Tum lego: *supra fidem memorati pond.,* quod voc. excidit. HEINRICH. In fine Lipsius: *Inde ibi perseverant. Ideo et Vestam* etc. Malim *perseverabant.* Quamquam vel sic nondum persanatum est scholium, quod e duabus glossis conflatum videtur. SCHOPEN.

63. *Ut cessit: ianuae Palati praebuerunt itum pisci.* Glossa misere truncata. Lege: *praebuerunt facilem aditum pisci.* Pertinet ad poetae verba sequentia *facili patuerunt cardine valvae.* IDEM.

75. *Nulla est occultior res* etc. Corrige: *Nullae sunt occultiores insidiae, quam quae* etc. Hic integer locus Ciceronis ex libro incerto apud Augustin. inter Cic. Fragmm. p. 1140. HEINRICH. Emendationem confirmat cod. Sang., ubi legitur *insidiae quaeque.* SCHOPEN.

Ibid. *admissionibus.* Vid. Savaro ad Sidon. p. 14. HEINRICH.

77. De *Pegaso,* quos laudat Ernesti Bibl. Lat. III. p. 490. et Saxius Onomast. I. p. 265. adde Gotfr. Mascov. de sectis Sabinianorum et Proculianor., Lips. 1728. 8. p. 67. sqq. Iac. Hasaeus de Berytensi ICtor. Academia c. IV. §. 6. sqq. H.

Brencmann. in Append. Fastor. Almeloveen. p. 608. Glossa Isidori: *Pegaso, homo iocularis.* Nihil sani adhuc quisquam. Vox corrupta ex *Gelaso.* Idem.

Ibid. *parasia*, vox nihili et corrupta, quam tamen ex hoc fonte nonnunquam afferunt, vel adeo usurpant pro vero vocabulo: ut Savaro ad Sidon. Epist. p. 545. et Scheffer. de Mil. Nav. III, 1. Cf. Diss. de Tutel. Nav. inter Opusc. Ruhnken. ed. Leid. p. 257. not. Verba ita sunt corrigenda: *Pegasus: Trierarchi filius, ex cuius Liburnae parasemo nomen accepit.* Quae, ut vulgo corrupte leguntur, temere adhibuit Arntzen. ad Aur. Victor. de Caesarib. 39, 20. Restituerat iam dudum Salmas. Exercitt. Plin. p. 403. E., et prius fere Ios. Scaliger ad Euseb. Animadvv. p. 40. a. Pegasus insigne et appellatio navium non insolita. Vid. Dissert. laud. p. 282. Haec autem de Pegasi ICti nomine vix aliud est quam nata ex lusu fabula. Dicebatur *liber*, ut Hyginum *quidam historiam vocabant*: Suet. Illustr. Grammat. 20. Martial. VII, 51. de Pompeio Aucto: *liber est.* Opuscul. Ruhnkenii ed. Leidens. p. 327. Idem. F. A. Wolfius Miscell. Litt. p. 189. hoc scholium ita laudat, ut legisse videatur *iuris studio tantam gloriam meruit.* Quod non displicet. In fine Pithoeus pro *Pegasianum scilicet ius* egregie *Pegasianum SC.* Vid. Vall. e Schol. ad 79. Quae addita sunt *quod Iurisperitus fuerat*, manifestum est, ad Iuvenalis verba *Interpres legum* pertinere, ut verissime censet Vir doctus in Obss. Miscell. Vol. X. p. 414. Schopen.

79. *Interpres legum: iurisperitus fuit, ut praefectus, unde ius Pegasianum.* Ita aperte, teste Orellio, cod. Sang., non *ut psecutus*, quod Cramerus edidit. Nec tamen scholium restitutum iam esse, apparet. Valla: *Pegasus attonitae positus modo villicus urbi. pegasus iurisperitus tunc urbi praefectus: unde et pegasianum senatusconsultum huius meminit Pomponius de origine iuris fuit et pegasus triarchi filius cuius navis pegase monumentum accepit.* Ex his facillime vera lectio eruitur. Scripserat: *Pegasus, iurisperitus, fuit urbis praefe-*

ctus; *unde* e t *SC. Pegasianum.* Atque haec glossa adscripta erat Iuvenalis vers. 77. IDEM.

80. *tum pro tempore.* Recte Schurzfl. *tamen pro tempore.* IDEM.

81. *Crispi* etc. De hoc scholio Lipsius Excurs. ad Tacit. Annal. XII, 6. et in Senec. de Consol. p. 70. Ios. Scaliger ad Euseb. Animadvv. p. 157. Nardini Rom. Vet. p. 1160. B. Reimar. ad Dion. LXV, 2. §. 12. Spalding. ad Quintil. T. II. p. 480. HEINRICH.

89. *nunquam voluntati bonae Neronis obstitit.* Nec *bonae*, nec *Neronis* sanum est. Fortasse legendum: *voluntati* i m p e r a t o r i s *obstitit.* SCHOPEN.

94. *Acilius.* Glandorp. Onomastic. Hist. Rom. p. 7., ad cuius verba: „Huius filium Domitianus interemit", Reinesius suo exemplo in Bibl. Cizensi adscripsit: „Imo ipse pater fuit et Cos., quem interfecit Domitianus. ita e Dione". Utor Reinesii ad Glandorp. notar. ms. apographo, quod ex libris Io. A. Ernesti Kiliam in Bibl. Academicam venit. Locus Dionis est p. 1112. sq., ubi vid. Reim. HEINRICH. *quo poenas sentiret* Valla. SCHOPEN.

97. *difficile nam nobilibus continget senescere.* Glossa ista male in ordinem alterius irrepsit. IDEM.

98. *id est, ignobiles pro Gigantibus.* Haec duo sunt nova scholiola, ita restituenda: *fraterculus esse Gigantis: id est,* i g n o b i l i s. G i g a n t i s: *pro Gigantibus.* IDEM.

103. *Servilius.* Valla recte *Servius Tullius.* Scholium finitur in verbis *non facile posse falli.* Idque patet ex cod. Sang., ubi sequentia sic scripta sunt: *Miratur. hoc ideo, quia stoliditatem finxerat Brutus, ne a Tarquinio occideretur. barbato. ac rustico intelligitur. facile. facilius poterit, inquit, fortem eludere, quam infamem.* Bene, modo pro *barbato. ac rustico intelligitur* correxeris: *barbato* a u t e m r u s t i c u s *intelligitur.* IDEM.

105. *Rubrius.* Glandorp. p. 748., sed coniectura incerta. Vid. Oudendorp. ad Sueton. Ner. c. 28. HEINRICH. *Rubrius*

iste aliquando Tibiam in pueritia corruperat, et verebatur, ne pro hac mercede poenas ab ipso reposceret. Schurzfl. bene pro *Tibiam* emendavit *Titi filiam.* Gravius mendum residet in verbis extremis; quod sic corrigendum puto: *et verebatur, ne* s t u p r i m e r c e d e m p a t r u u s *ab ipso reposceret.* Illud *hac* deest in Schurzfl. codice. Schopen.

107. *quam ipsum venisse dixit.* Ita Valla pro *venire.* Idem.

112. *Fuscus.* Valla sic: *fuscus. qui cum luxuria affluеret inter delitias bellicos actus exerceret.* Idem.

113. *Neroni.* Valla *imperatori fuisse familiarissimos.* Idem.

114. *qui eas amat, quas nunquam viderat. Caecus enim* etc. Legendum: *a m a b a t.* Post hanc vocem excidisse videtur *p u e l l a s* ob similitudinem vocis sequentis. Deinde cod. Sang. *Caecus nam*, quod recte praefert Orellius. Idem.

116. *de numero mendicorum.* Schol. ad XIV, 137. Sublicium pontem eam ob causam commemorat Seneca de Vita beata c. 25., ubi vide Lipsium. Heinrich.

117. *dignus aricinos qui mendicaret ad axes. i. inter iudaeos qui erant illo ex urbe transmissi. fuit enim aricinus lucus ut Probus inquit in quo iudaei mendicabant ab aricia dictus quae non longe ab urbe distabat: Horatius. Egressum magna me coepit aricia roma hospicio modico.* Haec Valla. Schopen.

118. *inclinatae et per clivum descendenti.* Rursus verba male interposita sunt. Lege: *devexae: inclinatae et per clivum descendenti. iactaret basia: qui caecus rhedae ferenti mulieres oscula iactaret.* Cod. Sang. lemmata recte habet. Idem.

121. *laudabat: sic omnia, quae non videbat, referebat.* Quid *referebat* ad explicandam voc. *laudabat* faciat, non video. Scripserat: *e f f e r e b a t.* Idem.

133. *Debetur magnus patinae: figuram hic dicitur posuisse.* Absurdum acumen. Vid. Burmann. ad Lucan. VIII, 483. Heinrich. Recte. Scripsit tamen: *debetur magnus patinae:*

patinae figurate hic dicitur posuisse. In extr. male Cramerus *eius.* Pithoeus et cod. Sang. *ipsius* habent. Schopen.

Sat. V. v. 1. *de iuvene contumelioso in parasitos dicit.* Legendum est: *de cena contumeliosa.* Idem.

3. *Sarmentus.* Versus in Anthol. Lat. recepti cum egregia Salmasii explicatione, I. p. 306., ubi de Scholio vid. Burmann. Adde Scaliger. Animadvv. Euseb. p. 197. Salmas. ad Vopisc. p. 352. et Epist. ad Sarrav. 82. Vossium Etymol. v. *Sarmenta.* Bentlei. ad Horat. Serm. II, 1, 85. Santen. ad Terentian. de Metris p. 182. sq. Verba: *ut per equitem Romanum ageret*, inde a Pithoeo pro corruptis omnes habuere. Verum unus Salmasius docet in Tertull. de Pallio p. 124. Est hellenismus, *κατὰ τὸν ἱππέα Ῥωμαῖον διάγειν*, idque, ut Salmasianum acumen videre facile oportuit, Scholii auctor habet ab antiquiore scriptore. De *decuria quaestoria* Casaubon. et Oudendorp. in Sueton. Aug. c. 32. Vales. ad Ammian. XXVIII, 6, 10. Heinrich. Si iterum Scholia typis describenda forent, sine dubitatione h. l. reciperem emendationes duas, quae summa veritatis specie blandiuntur. Una est Rutgersii, in Lect. Venus. c. 17. pro corruptis *qui ibi primus* legentis *quibus primum.* Altera Pithoei, qui sequentia *pro civibus et gratia* felicissime restituit: *precibus et gratia.* Minus probo, quod idem pro *Dum ut* coniecit *Dum autem* et mox *agit* pro *hic.* Lege *Tum ut*, et *dixit*, ut totus locus sit ita scribendus: *Tum, ut caussam usurpatae dignitatis dixit, precibus et gratia summoto accusatore, dimissus est.* Plura de hoc schol. Weichert. Poet. Lat. Reliq. p. 225. Schopen.

4. *Apicius.* Vitiosam scripturam esse puto pro *Aulus.* Vid. mea ad poetam. Vincent. Contaren. Var. Lectt. c. 27. Heinrich. Recte; atque ab hoc verbo novum scholium incipit. Valla *Appicius Galba.* Schopen.

5. *Quamvis iurato: hoc quasi parasitus iureiurando confirmet.* Valla ita: *Ventre nihil novi frugalius. hoc quasi ipse*

parasitus iureiurando confirmat. Male. Repono: *Quamvis iurato*: *hoc est, quamvis par. iureiur. confirmet.* IDEM.

11. *Cantabri.* Vid. Gothofred. ad Cod. Theodos. T. V. p. 272. et Ianuensis Cathol. HEINRICH.

17. *Apud veteres* etc. De hoc scholio Casaubon. in Hist. Aug. p. 150. F. Adde locum Basilii MS. in Schaeferi Praef. ad Gregor. de Dial. p. LIII. Lacerda Adverss. XCV, 16. IDEM. Lege ex cod. Sang. *unde hodieque triclinia appellantur.* SCHOPEN.

20. *Calceari* recte Ferrar. Analectt. p. 1120. T. VI. Graev. De origine voc. *ligulae* vid. Festus et Forcellin. s. v. Immo est *lingula, γλῶσσα τῶν ὑποδημάτων.* Pollux Onom. II, 109. VII, 80. Voss. Etymol. p. 289. Schweighaeuser. ad Athenae. T. VI. p. 494. Salmas. Exercitt. p. 41, B. Isidor. p. 480, 57. Savaro ad Sidon. Epist. p. 531. HEINRICH. Non male Schurzfl.: *calceari nam festinantes ansas.* Quae sequuntur, correctione non egent. SCHOPEN.

25. *Corybanta: sic enim vinum.* Cod. Sang. post *Corybanta* addit *hoc est gustum vini mali Sic nam vinum.* Recte, sed legendum *ex gustu.* IDEM.

30. *Ipse capillato diffusum consule potat. capillatum arguit inquit probus mollioris vitae.* Hoc additamentum Vallae non animadvertit Cramerus. IDEM.

32. *Cordolenti.* Vid. Ducang. Append. Gloss. Lat., post Gloss. Graec. p. 63. HEINRICH. Plenius cod. Sang. *unde nunquam amico vel cordolenti modicum dabit.* SCHOPEN.

34. *vinum de montibus Albanis.* Cod. Sang. *Vinum aut de mont.* Nempe excidit *Setinum* post *vinum.* Mox idem optime *ut non possit nec de superscriptione cognosci, quanti sit temporis. Delevit m. v. ex antiquitate deletum est.* IDEM.

36. *Helvidius Priscus* etc. Haec an essent ipsius Vallae, dubitabat Pithoeus. Falso: erant vestigia Scholii etiam in Cod. Schurzfl., et habet illud aliqua nova, quae nusquam alibi exstant. Vid. Lipsius ad Tacit. Hist. IV, 4. et 5. Mendose autem *adierat* legitur pro *adiuverat,* ut in Cod. Schurzfl.

est. Inclamatio, foedissime corrupta, talis fortasse fuit: *Καὶ ἡμῖν ἐπάρκεσον, Et nobis fer opem.* De hoc verbo vid. Hemsterh. ad Lucian. Timon. p. 109. Ut Cicero ad Laodicenum, *Καὶ περὶ ἡμῶν πρέσβευσον*, Macrob. Saturn. II, 3. p. 355. Heinrich. Valla, praemissis Tacit. verbis ex Hist. IV, 5. *Helvidius priscus regione Italiae tarracinae municipio — novissima exuitur*, ita pergit: *haec de helvidio prisco tacitus in historia qui helvidius post damnationem ut inquit probus soceri peti traseae interdicta sibi italia* etc. Unde dubitari nequit, quin scholium egregium in ipso Vallae codice extiterit. *Priscus*, quod initio legitur, Pithoei est; qui peius etiam in seqq *parricidium* edidit, cum apud Vallam *parricidam* legeretur, sensu optimo. Schopen.

41. *fiola.* Scribe *fiala.* Eadem corruptela v. 43. Idem.

46. *quidam sutor.* Lege ex Schurzfl. codice: *Vatinius sutor fuit Benev.* Idem.

47. *in talem calicem bibis.* An *tu tali calice bibes?* Idem.

48. *malthare.* Vid. Turneb. Adverss. VI, 9. Beckmann. Symbol. T. I. p. 485. Schneider. in Palladium p. 46. Heinrich.

62. *quia pulcher.* Melius cod. Sang. *quia et pulcher.* Schopen.

79. *manicasti.* Vid. Lipsius in Burm. Syll. Epist. I. p. 609. Heinrich.

86. *Venafrano: oleo bono civitatis Africae.* Cramerus „Error, inquit, glossographi aut librarii. Lege *Campaniae*". Immo duo scholia hic, ut saepissime, in unum conflata sunt, omisso lemmate. Repone: *Venafrano: oleo bono. Canna Micipsarum: civitas Africae.* Cod. Sang. aperte *Africae civitas.* Sicque alibi loquitur, ut XI. 124. Schopen.

88. *in quibus manducatis.* Scribe ex cod. Sang. *in quibus vos manducatis.* Idem.

89. *canna: genus navis, q. Gandeia dic.* Iac. Gronov. ad Scylac. in Hudsoni Geograph. vett. minor. Vol. I. p. 62. Annotat. corr. *Gauleia.* Genus navigii *γαῦλος*, *gaulus.* Vid.

ad Festum. Glossae: *Gauli* (?), *εἶδος πλοίου. Γαῦλος* et *σκάφη* vasa: a quorum similitudine navigia. Proprietatem habes apud Hom. Od. *ι*: *γαυλοί τε σκαφίδες τε.* Vid. Ruhnken. Auctar. ad Hesych. v. *Γαῦλοι*. Schneider. ad Xen. Anab. V, 8, 1. Gloss. Steph. p. 220. v. *Vagna.* Salmas. in Capitolin. p. 253. Heinrich. Apud Vallam, qui eadem habet, nulla diversitas lectionis. Pro *Barcae* scribe ex Schurzfl. emendatione *Barcaei.* Schopen.

94. *in suburbicario mari.* Huius glossae lemma est *Proxima.* Idem.

98. *mulier.* Ante hanc vocem addendum ex cod. Sang. *Quaedam.* Idem.

103. *colubrae*: *nomen piscis.* Immo *anguilla*: *nomen piscis.* Idem.

105. *pinguis*: *de sordibus*, *qui in cloacis nutritus.* Duo scholia, eaque diversae manus, hic latent. Cod. Sang.: *pinguis*: *de sordibus. cloaca qui in cloacis nutritus est.* Lege: *pinguis*: *de sordibus cloacae. pinguis: quia in cloacis nutritus est.* Idem.

109. *Seneca.* Mira opinio Pithoei, haec forsan a Valla esse. Immo vide Lipsium ad Tacitum Annal. XII, 8. Laudat etiam Reimar. ad Dion. p. 1021. l. 83. Totum Scholium retulit Lipsius inter Vett. Auctor. locos de L. Ann. Seneca, edit. postremae p. XXVI. Ibi pro *et mitigavit*, pro mente Scholiastae, leg. putat: *et indicavit.* Quod mihi secus videtur. Ad illa: *Ubi praecepta sapientiae* etc. Lipsius: „Sunt e Tacito sumpta, an ex ipsis Senecae verbis? quae vulgo tradita Tacitus scribit". Heinrich. Valla non habet, ut Cramerus ait, *adulterorum*, sed *adulteriorum*, quod unice verum est. Schopen.

Ibid. *Piso.* Pithoeus *in latrunculorum lusu;* moxque Schrevelius *ludentem* pro *latentem* dedit. A ludo calculorum Piso prolixe laudatur in Carm. ad Pis. 178. sqq., ad quem loc. verba Scholiastae, quanquam parum accurate, apposuit Wernsdorf. T. IV. p. 37. et p. 267. Heinrich. Valla: *repe-*

tita esse existimabatur. Correxit Pithoeus. In seqq. miror, nec Pithoeum, nec Cramerum pro *magnificentissimus* dedisse *magnificentissime.* Ita aperte Valla. Schopen.

115. *agris suis immiserat.* Lege: *agris ipsius immiserat.* Idem.

127. *sed melius sic.* Cod. Sang. non male post *sic* addit *accipitur.* Idem.

141. *Migale* legit auctor Scholii. Aliquid ex suo vet. Commentatore Lubinus profert ad v. 145., apud Hennin. p 795. Heinrich. Verba Lubini haec sunt: „V. M. Commentator locum hunc aliter de adulterinis pueris ex pellicatu susceptis interpretatur, per Mygalem meretricem intelligens et concubinam. Tanquam ex tali pueros liceat cum captatorum venia vel tres una vice suscipere. Quibus pueris blandiatur captator, munuscula et dona ipsis dans, nihil veritus, quasi ab illis adulterinis impeditus haereditatem Trebii adire nequeat". Cod. Sang. post *coitione* habet *etuemologia*, ut sit legendum: *ex ipsa coitione etymologia.* Schopen.

152. *Hesperidis*, pro Hesperidibus, forma notanda. Heinrich.

154. *Qualem simia manducat.* Egregium Scholium, quod totam loci sententiam continet; ponendum ad verba: *quod in aggere rodit. Qui* etc. Idem. Cramero debetur, quod nunc legitur *quale.* Schopen.

162. *cocinae.* Vid. Schneider. Gramm. Lat. I. p. 336. Idem.

164 *bullas aureas.* Vid. Dufresn. v. *Bulla.* Heinrich.

165. *corrigiam Parthicam.* Vid. Beckmann. Symbol. ad Histor. Invent. T. V. p. 36. Hoc Scholium laudatur a Broukhusio ad Propert. IV, 1, 131. et Gothofr. ad Cod. Theodos. T. V. p. 238. Valesio ad Ammian. XXII, 4, 8. Idem. Add. Salmas. ad Script. Hist. Aug. p. 312. E. *Parthicam* pro vulg. *particam* habet Probus Vallae. Schopen.

Sat. VI. v. 26. *non severus es.* Corrige: *Nunc severus es.* Heinrich.

28. *Furiis insanis.* Saltem: *furis, insanis.* Sed melius est legere: *nunc es insanus.* Idem. *Furis* edidit Cramerus, licet apud Pithoeum legatur *Furiis.* Mihi haec verba nulla correctione indigere videntur, modo restituantur lemmata, quibus adscripta erant, hoc modo: *colubris*: *Furiis. exagitare*: *insanis.* Schopen.

44. *Quem toties texit* etc. Duo hic Scholia sunt a diversis auctoribus. Male Schurzfl. Heinrich.

54. *ut uno sit viro contenta.* Lege *ut aut uno.* Schopen.

57. *concedo* etc. Haec et quae sequitur glossa pertinent ad Iuvenalis verba: *agello cedo paterno,* et continenter sic scribendae sunt: *Concedo, et in agro castam fuisse. Alii dicunt, perdo* etc. Idem.

66. *Discit*: *penem, ut habent in mimo.* Obscurissimum Scholium, et vero, ut Pithoeus edidit, perabsurdum. Sed pertinet sine dubio ad vs. praeced., et adscriptum erat ad voc. *longum.* Arnob. adv. Gent. l. VII. p. 300. Herald. *Mimis nimirum dii gaudent*: — *delectantur fascinorum ingentium rubore.* Alia ad rem egregia in Epistol. Ios. Scaligeri p. 597. Verissimum, quod dicit: *Bassus παχύς.* Glossa Labbaei: *Bassus, ἔγχυλος, παχύς.* Item Isidori Glossae, et Du Cange in v. Pronuntiando litera *χ* in *ss* traducta, et Graeci ipsi *πάσσων* pro *παχίων.* Vid. Maittair. p. 512. Ad hunc penem mimorum factitium aliae faciunt Glossae, quas primus explico. *Penis, αἰδοῖον, πρόσθεμα.* Item *Mutonium, πρόσθεμα.* De quo pessime Vulcanius. *Mutonium, προβασκάνιον, Λουκίλλιος.* Casaubon. Lectt. Theocr. c. 8. *Mutinum* legit. *Natura, πρόσθεμα,* Steph. Glossar. p. 244. In his *πρόσθεμα*, ut *προσθέσεις κομῶν* et *πρόσθετοι κόμαι.* Schneider. Lex. e Stratone, Epigr. III. ibi Iacobs. II. 3. p. 51. Toup. in Suid. p. 381. Glossae: *Mutonium, κυδώνιον,* ductum fortasse a *κυδωνιᾷν.* Mitscherl. Lectt. Cat. p. 58. sq. Iacobs. ad Anthol. I. 2. p. 102. Nisi tamen Glossa corrupta est; nam sic alia Glossa: *Cotoneum, κυδώνιον.* Macrob. Saturn. VII, 6. *mala cydonia, quae cotonia vocat Cato.* Excerpt. ex vet. Lex. p.

255. *Citoneum*, *κυδώνιον*. It. p. 275. Vid. Gesner. v. *Cotoneum*. HEINRICH.

73. *pueri vocales*. Savaro ad Sidon. p. 19. De *fibula* vid. ad 379. Inepta Rhodius affert apud Hennin. p. 915. IDEM.

80. *maculis nanctum*. Alii aliter. Pithoeus *netum*, et Lessingius in Berliner Mschrift Vol. XI. 1788. p. 602., quod nemo probet, qui sciat, quid sit *nere*. Ianus Vlitius (ita enim scribendum hoc nomen, non Ulitius, ut ipsi male alibi scripsimus: nec Wolfius ad Cic. Tusc. scribere debebat Ulattenus, sed Vlattenus,) ad Grat. Cyneget. p. 97. *maculis iunctum*. Schrevel. *variatum* a Salmasio habet, et inde Henninius. Alius apud Horat. Epod. 9, 16. lectores remittit ad hoc Scholium, tanquam in eo plana omnia essent et integerrima. Corrigo: *Conopeum, hoc est linum tenuissimum, maculis distinctum; quidam latine culicare dicunt*. Ovid. Epist. V, 19. *distincta maculis retia*. Catholicon Ianuensis: *Canopeum* (sic), *cortina subtilissima, ad instar retium plexa, texta et fenestrata* etc. *Conopeum* et — *ium*, utrumque e *κωνωπεῖον*, uti recte Nic. Heins. ad Virg. Aen. I, 201. Magnus Bentleius ad Horat. l. c. alteram formam *κωνώπιον* esse ait. Unde vero? „Nam *κωνωπεῖον* est quod etiam Latini scriptores *conopeum* dicunt: sed *κωνώπιον*, parvus *κώνωψ*". Vid. Schaefer. ad Gregor. Cor. p. 508., Bentleii tamen non memor. Aliud est, nimirum collectiva forma, *κωνωπεών*, cuiusmodi plura vid. ad Gregor. Cor. p. 225. Fischer. ad Weller. I. p. 277., quod de *conopeo* dictum non bene Graecum est, et inferioris aetatis *ἀκυρολογίαν* arguit. Agathias et Paul. Silent. in lemmate epigrammatum *εἰς κωνωπεῶνα*, Brunck. Anal. III. p. 61. et 91. Hadr. Iunius Nomenclator. p. 229.: *Conopeum* — *κωνωπεῖον*, *κωνωπεὼν Epigr.* — *Gall. pavillon.* Item Prima Scaligerana p. 55. Glossae: *Papilio*, *σκήνωμα*. Inde Gallicum *Pavillon*, ut inferioris Graecitatis *παπυλιεών*, tentorium. *βασταγαὶ παπυλιεώνων* Urbicius post Onosandrum Nic. Rigaltii p. 73. Cf Du Cang., et Fabrot. in Glossario Cedreni.

Ex quo perspicuum est, quid proprie sint *Pavillones*, quos vulgo vocamus, aedificia videl., ad campestrium papilionum formam exstructa. De *conopeo* Isidor. Origg. p. 458. Multae ea de re dubitationes Gisb. Cuperi in Epist. ad Almeloveen. in Nov. Miscell. Lips. Vol. III. p. 692. sqq. Ad loc. Horatii unus omnium optime Boettiger. Res primum in Aegypto a necessitate processit: *ἀμφίβληστρα*, vela instar retium lectis oppansa, quae Herodotus miratus, ipsa retia sibi videre visus est, II, 95. Fabulosum est enim hoc, *τῷ τῆς ἡμέρης μὲν ἰχθῦς ἀγρεύει.* De Romanis Varro de Re R. II, 10. *foetae nostrae, quae in conopeis iacent.* Sed in luxuriam res versa. Spartian. p. 15. D. *lectus — minuto reticulo undique clausus*, ubi vid. Casaubon. *Rete, reticulum* est, quod dicimus *filetum*: hinc *maculae.* Beckmann. Symbol. Vol. V. p. 165. *τὰ δίκτυα*, indusium puellae, Marcus Argentar. III, 1. Anal. Br. II. 266. *fundatum*, Salmas. Epist. ad Sarrav. p. 145. Immodicam etiam luxuriam *foeda conopia* habebant, Cleopatrae obiecta a Propertio et Horatio, mollissimum ex opere reticulato genus tentorii s. papilio: unde Propert. *tendere conopia*: eadem *σκιάς*, Plutarch. Anton. c. 26. Atque huc pertinere videtur *aurifex papilionarius* Theodori Mopsvest. apud Vales. Not. in Harpocrat. p. 70. a. Trebell. Poll. p. 193. de Herode: *cui erant sigillata tentoria et aurati papiliones.* Ubi et Salmas. nihil de hac re dicit, et Gothofred. loco Pollionis usus ad Cod. Theodos. T. V. p. 424. Ac sane *σκιάς* apud Plutarch. l. c. est *χρυσόπαστος*, ut *νεβρίς*, id. Sympos. Vol. III. p. 747. Wytt., ut *τιήρη χρυσόπαστος* Herodot. VIII, 120. et multa huiusmodi alia. Vid. Salmas. in Lamprid. p. 224. B. Idem.

83. *Moenia Lagi.* Duplex est Scholium, unum: *Alexandriam dicit, quam Lagus tenuit, pater Cl. et Pt.*, alterum: *Alexandriam dicit, quam post mortem magni Alex. occupavit Ptol. Lagus, a quo deinceps* etc. Postrema ex emendatione Pithoei. Idem.

87. *ob adulteratam uxorem ab eo.* Lege: *ob adulteratam*

ab eo uxorem. Ad illud, *Domitianus occidit*, vid. Goens. Diatr. de Cepotaph. p. 155. Duo Parides: Oudendorp. ad Sueton. Vit. Iuv. p. 999. Tertius Antiochenus apud Liban. Vol. III. p. 362. Idem.

89. *segmenta.* Vide ad II, 124. Idem.

91. *cuius fama vilis est iactura. matronas: id est, pro maritis delicatis.* Haec ita legenda sunt: *cuius famae vilis est iactura. cathedras: id est, matronas. molles cathedras: pro matronis delicatis.* Postremum alterius est glossatoris, ut apparet. Schopen.

95. *trepidantes excusant.* Scribe, duabus iteratis litteris, *trepidantes se excusant.* Idem.

96. *nec se continere possunt. Exclamatio in rebus turpissimis.* Lege, ut apta sit interpretatio, *sustinere.* Eadem locutio infra ad VIII. 78. Sequentia ita scribenda sunt: *excellunt animo in rebus turpissimis.* Sic optime interpretatur Iuvenalis verba: *Fortem animum praestant rebus, quas turpiter audent.* Vitii pars orta est ex scripturae compendio male intellecto. Nam voc. *animo* in libris veteribus *aĩo* exhiberi, nota res est. Idem.

98. *cum marito navigatio aegre toleratur et difficile est.* Hic rursus duo sunt scholia, male conflata. Plena enim interpunctione post *toleratur* posita, sic legendum: *durum: id est, difficile est.* Idem.

101. *id est, non solum quod non moleste feret navigationem, sed etiam, in quo usus exigerit, nautas in tempestate iuvat.* Lege *fert*, et mox *sed etiam, si quando usus exegerit.* Formula *non solum quod*, ex Graeco, ut videtur, traducta, legitur etiam supra V. 51. Idem.

104. *ludiis serviens, gladiatoris uxor.* Ita emendo. Quanquam scio a Salmasio in Trebell. Poll. p. 328., gladiatores non tantum *ludios*, sed etiam *ludos* potuisse dici: quae tamen insolens vox est, et aliena ab hoc loco. Heinrich.

105. *Sergiolum nomine ex gladiatore.* Lego: *Sergiolum, hominem ex gladiatore, amavit.* Proba est locutio, *ex*

gladiatore, quam Schurzfl. corrumpit scribendo *exgladiatorem.* Adeo hunc ipsum Scholiastem parum novit, qui item ad XIV, 306. *ille ex liberto Claudii.* Et omnino frequens hoc genus dicendi, ut *ex praefecto*, *ex Consulibus viri*, pro Consulares etc. Caesar. B. Civ. I, 46. *Q. Fulginius ex primo hastato legionis XIIII.* i. e qui fuerat primus hastatus. Quod ex interpretibus unus recte Oudendorp. accepit, pessime autem cum genere prorsus dissimili confudit Iacobus Gronovius ad Arriani de Exped. Alex. III. p. 109. Vid. Indices operis Gruter. p. XVII. et XXXIV. sub litt. *E.* Salmas. in Lamprid. p. 117. B. Gronov. Obss. p. 761. Gesner. Thes. v. *Ex* n. 6. Pariter Graeci *ἀπὸ ὑπάτων, ἀπὸ ἐπάρχου.* Hagenbuch. in Mus. Turic. Vol. I. p. 215. De origine locutionis vid Muret. in Iustiniani Institutt. Prooem., Opp. T. IV. p. 307. sq. Idem. Mihi aliud quid in v. *nomine* latere videtur. Sed nihil nunc quidem extrico. Schopen.

Ibid. *quo mos est.* Scribe: *quod mos est.* Glossam ineptam suo merito ineptiorem etiam effecit Schurzfl. inferciens: *in Vestalibus sacris.* Heinrich.

114. *quasi miraris hoc factum.* Lege: *quasi*, *miraris hoc factum?* Schopen.

117. *Nonariae.* Vid. Gesner. Thes. in v. Reiskius Apparat. ad Demosthen. Vol. II. p. 503. Heinrich. In seqq. *qui per eam*, *ut superius dixit,* verba *per eam* nihili sunt. Nec *superius* quicquam Iuvenalis de eo habet. Quare reponendum fortasse: *qui postea*, *ut Suetonius dixit.* Vid. Ner. 33. Ceterum totum locum *Haec eadem — effunderet offas* aliunde profectum crediderim. Schopen.

120. *quo utebantur meretrices flavo. Nigro nam* etc. Sic recte Pithoeus pro vulg. *quo utebantur meretrices. Flavo, nigro. nam.* Vid. Salmas. in Tertull. de Pall. p. 317. Flavities praecipue affectata. Reines. Epist. ad Rupert. p. 260. sq. Lipsius ad Tac. Germ. IV. Trekell. ad Brisson. de Iure Connubior. p. 357. Heinrich.

121. *ut velo ex pannis facto.* *ut* e compendio scriptu-

rae, i. e. *veteri*. Sic legendum. Occupavit Burmann. ad Petron. p. 31. b. IDEM.

124. *ipse Britannicus quem post Messalinae matris necem, conscia Agrippina, Nero in convivio suo necavit.* Initium huius scholii corruptum est. Scripsit, ni fallor: *dixit Britannicum.* Mox pro *suo* legi oportere *veneno*, facile coniiciat, qui veterum morem per sigla scribendi meminit. Vid. Schol. ad 116. et 628. Ex quo posteriore loco illud simul intelligitur, non opus esse, ut cum Cramero pro *conscia* legatur *inscia*. SCHOPEN.

129. *desiderantem coitum.* Scribe cum Orellio: *desiderans.* IDEM.

153. *Sigillaria.* Vid. ad Gellium II, 3. Cuiac. Observv. X, 30. Bentlei. ad Horat. Serm. II, 7, 82. Paciaudi Monum. Peloponnes. Vol. II. p. 40. sq. et p. 168. Borrich. Thesaur. Graev. Tom. IV. p. 1563. Turneb. Adverss. II, 2. Brisson. de Verb. Signif. s. v. Antea locus, ubi sigilla sive sigillaria venibant, erat „porticus Agrippinarum", i. e. thermarum, in Campi Martii finibus, prope Pantheum; postea „porticus Traianarum thermarum", seu quas Domitianas vocabant, in Palatio. De utrisque vid. Casalius de Thermis, in Thes. Antiqq. Gronov. Vol. IX. p. 635. Verum Scholiastes thermas Agrippinas confudit cum alio magnifico opere, ab eodem Agrippa exstructo, porticu Neptuni, de qua Donatus de Urb. Roma III, 17. T. III. Thes. Graev. Nardini p. 1300. T. IV. In porticu pictura Argonautarum: *expeditionem* dicit Al. Hirt. in Mus. Berol. Vol. I. p. 170. Praecipua mentio apud Dion. Cass. LIII, 27. Ceterum *casae de linteis* sunt tentoria, pergulae institorum, *σκηναί.* Valcken. in Theocr. Adon. v. 16. p. 309. A. Henr. Vales. Not. in Harpocr. p. 70. a. HEINRICH. Verba *Ideo — obstabant* non eiusdem sunt, qui priora scripsit. Nec dubito, quin part. *autem* addiderit, quisquis scholia ista diversa in unum collegit. Qualia plura etiam alibi observavi. Mox recte Cramerus pro *porticu Agrippinarum* legendum suspicatur *port. Agrippae.* Simile mendum supra intactum re-

liqui in Schol. ad I. 20., ubi pro *Vespasianorum* repone *Vespasiani.* In prioris scholii fine Pithoeus non male *picturae obstant.* SCHOPEN.

Ibid. *negotiatorem Grecum.* Glossa inepta describentium culpa ineptior facta. Lege: *negotiatorem Graecum dicit.* IDEM.

155. *Sic et Cinna.* De versu Cinnae Handius ad Gronovii Statiana p. 347. HEINRICH. Adde Weichert. de C. Helvio Cinna p. 189. SCHOPEN.

158. *in Sicilia (am).* Errat. Vid. Lips. ad Tacit. Ann. I, 3. Fabric. ad Dion. Cass. p. 805. I. 74. HEINRICH. Error librarii videtur. Quippe legendum censeo: *in insulam,* scil. Planasiam. Idem habet Suet. Aug. 65.: *Agrippam nihilo tractabiliorem, immo in dies amentiorem, in insulam transportavit.* Mox cod. Sang. melius *relegatus est; post cuius mortem* etc. Verba postrema *Beronice — religatus est* alius adscripsit nugivendus. SCHOPEN.

163. *picti et positi.* Lege cum cod. Sang. *picti sunt et positi.* IDEM.

164. *Id est, quod* etc. Repete lemma: *bellum dirimente Sabina.* Hinc enim alterum incipit scholium, duobus contaminatum vitiis. Primum scribe: *id est, quae.* Deinde pro *ostendendo illis filios, hostis nepotes* legendum: *ostendendo illis filios, his nepotes.* Syllaba praecedentis vocabuli iterata errorem peperit. Liv. I. 13. *orantes, ne parricidio macularent partus suos, nepotum illi, hi liberum progeniem.* IDEM.

173. *commicturun.* Ita codex Budensis; in Sang. est *conmicturum.* Lege *commiserunt.* IDEM.

174. *Amphion Iovis fuit maritus.* Ad haec Cramerus: „Haec, certe a Probo non profecta, mera somnia sunt". Immo merum librarii vitium. Scilicet scribendum: *Amphion Niobes,* ut iam Orellius vidit. Idem in seqq. pro inepto *proferrent* recte *praeferrent.* IDEM.

177. *scrofa Niobe: Lusit. Fecunda, tanquam scrofa alba Troianorum.* Lege: *Lusit de Virgilio; id est, fecunda*

etc. Similiter loquitur ad V. 151.: *ridet de Homero.* Locus est Virgil. Aen. III. 391. IDEM.

181. *quae se tibi semper profert.* Schurzfl. correxit: *qua se tibi semper praefert.* Sed praestat, haec ad fidem cod. Sang. omittere, utpote ex praecedente scholio male repetita. IDEM.

186. *tanquam Athenienses.* Lege *Atheniensis.* IDEM.

192. *Licet turpe sit.* Praeponendum lemma: *Tune*, ut sit scholium novum. IDEM.

201. *ex superfluo vis dulcia gratis perdere.* Lege: *ex superfluo* **sit**, id est, superfluum sit. Vid. Walch. Emend. Liv. p. 163. De *dulciis* dixi supra p. 356. Eadem sunt, quae Graeci appellant γλυκύσματα. Conf. Schaefer. ad Greg. Corinth. p. 339. IDEM.

213. *Excludatur amicus*, lemma est annotationis sequentis. IDEM.

223. *Nihil peccavit. Sic mihi placet.* Scribendum, lemmatis restitutis: *nil fecerit, esto: nihil peccaverit. Hoc volo: sic mihi placet.* IDEM.

225. *propter ruborem custodiendum.* Recte Orellius *pudorem.* IDEM.

230. *sepulcro ei inscribatur.* Cod. Sang. non *ei* habet, ut Cramerus edidit, sed *eius*, quod restituendum. IDEM.

236. *facultatem ad se filia veniendi.* Lege cum Valla: *facultatem filia ad se veniendi.* IDEM.

Ibid. *a calore se discooperit.* Vid. Voss. de Vitiis Serm. IV. 6. p. 705. IDEM.

249. *aut tantum curat in exercitio.* Ita vere correxit Lips. ad Senec. l. VII. de Benef. c. 1. p. 367. C. HEINRICH.

250. *a Flora meretrice instituti.* Fabula Lactantii. Eckhel. Doctr. N. Vol. V. p. 308. Gesner. Thesaur. v. *Floralia.* IDEM.

254. *una uncia* etc. Vid. Hesiodi Fragm. v. 175. Pro *undecim* fortasse leg. *unciae decem.* Fulgent. Mytholog. II, 8. IDEM.

270. *ferocior est tigride ea.* Lege *tigride* *ipsa.* Schopfn.

271. *odiri.* Vid. Voss. l. l. IV. 30. p. 793. Idem.

274. *metaphora a militibus in statione.* Duo verba postrema sunt Iuvenalis. Idem.

281. *tanquam orator responderit.* Lego *desponderit.* Idem.

289. *nam labor.* Melius cod. Sang. *labor nam.* Idem.

291. *monte, ut porta.* Scribe *vel porta.* Idem

296. *ut nomen ad significationem impudicitiae significare videatur.* Verbum *significare* corruptum est. Schurztl. coni. *sufficere.* Perperam. Legendum procul dubio: *singulare.* In seqq. Valla non male post *Pyrrho* addit *Tarentini* Idem.

301. *distantia capitis et virilium ne sit ebrietas.* Lego *distantiam* et pro *ne sit*, praeeunte Orellio, *nescit.* Idem.

314. *ibi nam saltat matrona cum tibia.* Rursus excidit, quod praefixum erat lemma: *tibia lumbos Incitat.* Idem.

322. *Ipsa Medullinae: nomen est. aut cersaufeia.* Ita cod. Sang. Emendo: *Ipsa Medullinae: ancillae nomen est, aut sacerdotis, ut Saufeia.* Idem.

Ibid. *fluctum: id est, habet potiorem in obscenis motibus motum, sive sinum.* In voc. *motibus* finitur scholium prius; alterum caret lemmate suo: *fluctum: motum sive sinum.* Ultimam vocem ne quis corruptam habeat, vid. Sciopp. ad Priap p. 94. Idem.

323. *virtutis obscenae palmae aequat. in nobilitate dominas sive ancillas natales doctrina cedentes.* Locus est depravatissimus, quem ego sic scribendum puto: *virtutis obscenae palma aequat in nobilitate dominas, sive ancillis natalium claritatem concedit.* Idem.

327. *Tunc prurigo: libidine impatiens. Nil ibi per ludum, nil ibi per iocos fiunt, sed vere.* Mire hic verba Iuvenalis et interpretis confusa. Corrigo: *Nil ibi per ludum: nil ibi per iocos faciunt, sed vere. Tunc prurigo morae impatiens: libidine.* Idem.

329. *exspectans si adulter dormitat, quemadmodum cumq. ad stuprum vocatur.* Lege: *exspectatus si adulter dormit, alium quemcumque ad stuprum vocant.* Illud *admodum*, Orellio auctore, omisi. Idem.

341. *id est, nec picturam masculini sexus ibi licet ipse.* Lege: *licet conspici.* Senec. Epist. 97. p. 608. *in quo reus erat Clodius ob id adulterium, quod cum Caesaris uxore in operto commiserat, violatis religionibus eius sacrificii, quod pro populo fieri dicitur, sic submotis extra conspectum omnibus viris, ut picturae quoque masculorum animalium contegantur.* Idem.

342. *illo tempore nemo contendebat. Diis vas sacrificio aptum.* Legendum: *contemnebat Deos. Simpuvium: vas sacrificio aptum.* Restituerunt Cramerus et Orellius. Idem.

343. *vas sacrificiis aptum, quo pontifices libare solebant.* Ita vere Ruben. Electt. II, 8., ibi agens de *simpulo* s. *simpuvio.* Add. Meurs. Opp. T. V. p. 504. et 637. extr. Heinrich. In seqq male legitur *inde simpuviatrix illa dicitur, quae porrigit poculum ipsum.* Interpunctione enim post praecedens *bibebant* posita pleniore, legendum est: *Inde et simpuviatrix ancilla dicitur, quae* etc. Conf. Paull. Diac. Excerpt. v. *Simpulum* p. 149. Lind. Schopen.

345. *ad quas non Clodius aras: pro Clodius. licet nam per communionem, ut Clodius et Claudius, ut cotes et cautes.* Ex ipsius Scholiastae verbis apparet, ut recte monet Rutgers. II. 17., in lemmate olim scriptum fuisse *Claudius.* Sequentia ita lego: *Dicebant nam per communionem et Clodius et Claudius, ut cotes* etc. Vid. Casaub. in Sueton. Vespas. c. 22. Schneider. Gramm. Lat. I. p. 59. Idem.

351. *servis nomina ex gentibus.* Hemsterh. ad Lucian. Timon. p. 132. Westerhov. ad Terent. I. p. 41. Heinrich.

353. *quae ipsam sequuntur.* Lege *sequantur.* Schopen.

360. *considerant. sed et suam.* Vere Orellius: *considerant se et suam.* Idem.

366. *et si quando* etc. Inspecto Valla, non opinatus es-

set Cramerus, versus ignoti poetae esse. Ibi enim sic legitur: *Imbelles. inutiles ad coitum ut illud Vir. et quando ad proelia ventum est. Ut quondam in stipulis magnis sine viribus ignis. Incassum fuerit.* Unde patet, post *concubitum* addendum esse: *Ut Virgilius.* Vid. Georg. III. 99.; quem versum infra ad X. 205. exhibet emendatiorem. Idem.

370. *ut licet levis sit, tamen idoneus ad concubitum.* Et sensus et structura scribi iubent: *ut, licet leves, sint tamen idonei* etc. Eadem sententia in scholio seq.: *ad illos retulit, qui non habent barbam, et in concubitu tamen viri sunt.* Quod addidi *tamen*, extrivit similitudo syllabae praecedentis. Olim enim *tn̄* scribi solebat. Idem.

379. *in penem habent.* Lege *pene.* Idem.

381. *id est sardi et onyches.* Novum est scholium, sic scribendum: *Sardonyches: id est sardae et onyches.* Vid. Salmas. Exerc. Plin. p. 393. Idem.

392. *vel de responso, exta intuendo, an* etc. Repone: *de responso exta intuentis.* Idem.

397. *ut varicoso haruspice doctior videatur.* Lego: *durior videatur* i. e. impudentior. Vid. Heins. ad Ovid. A. A. III, 304. Salmas. in Spartian. p. 162. D. Heinrich.

399. *imitari eas res viriles.* Corrige: *eam.* Schopen.

400. *chlamydatis.* Lipsius de Mil. Rom. II, 12. Heinrich.

401. *recta facie: non erubescet.* Lege *non erubescente.* Schopen.

407. *stella cincinnata.* Vid. Heindorf. ad Cic. N. D. p. 134. Heinrich.

414. *pauperes vicinos rogata loris caedit, caeterum irata fustibus, si canes latraverint.* Fallor, aut in vitioso *caeterum* latet *caedit herum.* Voc. *herus* etiam canum respectu dicitur. Virg. Aen. VIII. 462. *gressumque canes comitantur herilem.* Inde novum scholium incipit, hoc lemmate: *Adferte atque.* Schopen.

417. *ita fustes adferri.* Lego *atque* pro *ita.* Idem.

421. *halteras.* Vid. Lipsius in Senec. Epist. 56. p. 477.

Gesner. Thes. in v. μολιβδίναι χειροπλήθεις, Lucian. de Gymnas. 27. et ibi Moses du Soul. Henr. Steph. Ind. in Thes. L. G. v. Ἁλτῆρες. Palmer. Exercitt. p. 400. Boettiger Archaeol. der Malerei p. 219. Heinrich. Pro *exercent* cod. Sang. *exercentur*. Alterum non infrequens. Cic. de Orat. II. 71. *ceteris in Campo exercentibus*. Vid. Casaub. ad Sueton. Aug. c. 98. Quae sequuntur: *quasi plumbeis ponderibus exerceatur*, alter annotavit. Schopen.

423. *non cogit exclamare*, *quod fecerit* etc. Lege cum Schurzfl. *cunnum cogit exclamare*. Quae deinceps leguntur, alterius sunt Scholiastae. Idem.

426. *Oenophorum*: *exspectantes dicit, cum venerit e balneis, oenophorum prendit*. Haec ita scribenda sunt: *Urgentur*: *exspectantes dicit, dum venerit e balneis*. Reliqua adscripta erant v. *Oenophorum*. Idem.

427. *Admotum p.*: *ad pedes accipit*, *id est ante pedes*. Duo sunt scholiola auctorum diversorum. Excidit enim lemma *admotum p.* ante *id est*. Idem.

429. *cum ceperit*. Cod. Sang. *quum coepit*. Lege *coeperit*. Idem.

447. *mulieres*. Scribe *mulieribus*. Idem.

452. *magistri Quintiliani*. Vid. Gesner. Praefat. Quintil. §. 4. Heinrich.

456. *antequam*. Verissime Orellius: *ante quam* i. e. coram qua. Mox corrige: *quod magnae est inverecundiae*. Schopen.

459. *tutulatos* malit Pignor. de Serv. p. 207. Vid. Gesner. v. *Elenchus*. Salmas. de Modo Usur. p. 670. Lacerda Adverss. sacr. c. 175. n. 2. Heinrich. *Magnarum* — *apellant* om. cod. Sang. Apparet, ab altero Scholiasta haec profecta esse. Schopen.

462. *ut eam quinquaginta*. „Scribe *quingentae* cum Dione et Plinio, et *missam in solium*, quod est vas balneare.“ Reimar. ad Dion. Cass. p. 1024. l. 58. Imo sic: *sequerentur*,

quarum lacte, misso in solium, candorem corporis procurabat. Vid. Plin. H. N. XI, p. 305. et XXVIII, p. 399. Heinrich.

476. *libraria: lanipendia.* Verissime. Iam vidit Rubenius Electt. II. c. 26. Duker. de Latinitate Iurisc. p. 407. Oudend. ad Suet. Vesp. c. 3. Fabrett. ad Inscriptt. p. 214. Idem.

477. *Cosmetae: non tamen et ornatrices,* sanum omnino, et temere Schurzfl., quamvis probatus a Gesnero Thes. v. *Cosmeta.* Illud recte, quod proxime delet *tamen et.* Grammaticum ac verum discrimen *cosmetas* inter et *ornatrices*, *κοσμήτριας*: illi etiam *κοσμοπλόκοι*, inscriptio apud Spanhem. ad Callim. H. in Pallad. v. 21. Scholiasta vituperat, si qui *cosmetas* pro servabus habebant. Vix satis discernit Pignorius de Serv. p. 197., at prorsus miscet Boettig. Sabin. I. p. 22. Lexica Gr. Steph. et Schneid. mire deficiunt in his vocc. Idem.

478. *somni mariti.* Cod. Sang. *somnus mariti poenas praestat familiae.* Optime. Schopen.

484. *quasi in causa disceptaverit.* Haec annotatio pertinet ad Iuvenalis verba: *iam cognitione finita.* Recte Valla Idem.

486. *saevior scilicet ab aula Faleris.* Lege *Phalaris.* Vid. Schneider. Gramm. Lat. II. 1. p. 195. Locutio *saevior ab aula*, pro quam aula, haud inusitata. Donatus ad Terent. Hecyr. Prolog. II. 3.: *haec comparatio minus a positivo sonat et vim deminutivam exprimit.* Vid. Salmas. ad Script. Hist. Aug. p. 494. E. Idem.

491. *Psecas.* Reines. Epist. p. 260. et eadem Inscript. p. 124. sq. Rigalt. ad Artemid. p. 72. In seqq. *parvum aquae* non mutandum in *paulum.* Vid. Oudendorp. ad Lucan. II, 128. Heinrich. Pro *componentes* legendum *comam componentes.* Ovid. Rem. 679. *Nec compone comas.* Vid. Schol. ad 490. et 495. Schopen.

497. *quasi magistra.* Vid. Reines. Epist. p. 55. Schol. Cruq. Horat. Epist. II, 1, 189. *bestiarum magistri.* Heinrich.

502. *in ante componitur.* An *in altum?* Schopen.

510. *in hoc proxima solo est.* Transpone: *in hoc solo proxima est.* IDEM.

511. *in lumentis.* Salmas. in Tertull. de Pall. p. 403. HEINRICH.

516. *Tiara est, Phrygium quod dicunt.* Vid. Salmas. in Vopisc. p. 405. A, quorum parum memor in Plin. Exerc. p. 392. D. scribit *pileum Phrygium.* IDEM. Alter Scholiasta hoc annotavit. SCHOPEN.

518. *si se lustraverit.* Lege *nisi.* Repetit verba poetae. IDEM.

519. *ampelini coloris.* Salmas. in Trebell. Poll. p. 281. A. Voss. Etymol. p. 573. HEINRICH.

525. *Brutus agrum Tarquinii Superbi totum Marti consecravit.* Cod. Pithoei *eo citotum*, Sang. *eo ei totum.* Legendum: *Brutus agrum Tarquinii Superbi*, *eo eiecto*, *Marti consecravit.* SCHOPEN.

526. *totum Campum genuis flexis pertraxit.* An *pertransit?* Notanda forma *genuis.* Vid. Voss. de Vitiis Serm. III 57. p. 672. IDEM.

Ibid. *minaret.* De hoc verbo vid. Indic. Elmenh. in Apuleium. Vorstius de Lat. falso susp. p. 155. HEINRICH. *Iuppiter Iunonem dilexit, petit, indulsit pellici, et reversa in suam figuram, recepta est inter deas. Et ipsa est dea Isis.* Haec mihi sic scribenda videntur: *Iuppiter, Iunonem complexus, petiit indulgentiam pellici, et Io reversa — deas. Et ipsa est dicta Isis.* Expressit Ovid. Met. I. 733. sqq. Paulo supra cod. Sang. recte *celare volens scilicet factum.* SCHOPEN.

529. *templum Isidis.* Vid. Gesner. Thes. L. L. v. *Campensis.* HEINRICH.

530. *usque adeo superstitiosa est matrona, ut putet ipsam deam per Gallum loqui.* Ita recte cod. Sang. SCHOPEN.

533. *Qui grege lanigero: sic enim symmistae, quando Osirim quaerunt.* Locus insigniter deformatus, quem ego restituere mihi videor sic scribendo: *linigero: sic enim amicti sunt mystae, quando* etc. IDEM.

536. *observandisque diebus: quibus debeat observare festis.* Ita cod. Sang., sensu nullo. Rescribe: *quibus debeat secubare festis,* id est, concubitu abstinere. Vid. Interpr. ad Ovid. Fast. II. 328. Drakenborch. ad Liv. XXXIX. 10. Idem.

537. *Unde ait.* Versus hi Sulpitiae in Anthol. Lat. Burm. I. p. 678. et Wernsdorf. P. Lat. Min. III. p. 96. copiose illustrati. Cum scholio de *cadurco* conf. illud ad VII, 221. Salmas. Plin. Exercitt. p. 824. Glossae Isidori: *Cadurca labra pudendi muliebris, vel sponda lecti.* Catholicon Iohannis Ianuensis v. *Cadurcum.* Lindenbruch. in Catalectt. p. 335. Ad voc. *instita* vid. Isidor. Gl. *Institae.* Cato R. Rust. X, 5. ibique Popma. Heinrich.

542. *ideo dixit foenoque supellectile, quod his* etc. Hic rursus utriusque Scholiastae annotatio temere permixta. Unus scripsit: *cophino fenoque: ideo dixit cophino fenoque, quod his* etc. Alter: *cophino fenoque: supellectile.* Vid. Sat. III. 14 Schopen.

546. *accepit et ipsa numos.* Lege *accipit.* Idem.

552. *filiam Bareae Sorani, quam cum ipse ad magicam descendisset, hortatus detulit Neroni.* Corrigit Lipsius ad Tacit. Ann. XVI, 30. Sed iam rectius expressum apud Henninium: *quam, cum ipse ad magicam discendam esset hortatus, detulit Neroni.* Heinrich. Vulnus nondum persanatum esse, ostendit illud *quam,* male abundans. Lege *quamquam ipse* etc. Schopen.

553. *horum aliquid.* Lege *aliquis.* Idem.

554. *Nam magis sic intelligitur, quod Alexander damnavit templum Apollinis in Delphis, ne sint homines futurorum praescii.* Haec sensu carent. Lege: *Aut magis sic intelligitur — Apollinis in Delphis. damnat: ne sint homines futurorum praescii.* Idem.

560. *castrorum custodia.* Vid. Lipsium Excurs. ad Tacit. Annal. III, 22. Heinrich. Interpres Iuvenalis, quem Lipsius ibi dicit veterem, Lubinus est. Schopen.

563. *in insula Cycladum relegari.* Lege *insulam.* Foe-

dius corrupta sunt, quae sequuntur: *Peritissimus astrologorum ille est, qui tale aliquid admisit, cum facinus non exilium semper mereatur.* Valla: *astrologorum peritissimus ille est qui tale aliquid admisit ut eius facinus non exilium sed sesim mereatur exitium.* Hinc sponte fluit emendatio, ut arbitror, probabilis: *Peritissimus astrologorum ille est, qui tale aliquid admisit, ut eius facinus non exilium, sed supplicium mereatur extremum.* Tacit. Annal. VI. 38. *extremum ad supplicium damnatus* i. e. capitis. Vid. Drakenborch. ad Liv. IX. 16. 18. Idem.

565. *requirit de morte hictericae matris cum mathematicis.* An *loquitur?* Idem.

568. *aut petiti praestant.* Fortasse *petenti.* Idem.

573. *membrana mathematicorum.* Lege *membranam*; et mox fort. *colorem cepit*, pro *fecit.* Salmas. in Vopisc. p. 442. C. scripsit: *mutavit, et crocea facta est.* Sed voc. *eploceus* novi est commatis, ut videtur, de colore flavo. ἐμπλόκια sunt crines ficticii s. suppositicii, galerus, φενάκη. In his plurimum vulgatus flavus color. Vid. supra ad v. 120. Inde *eploceus* dici coepit, qui vulgo color erat τῶν ἐμπλοκίων, Haartour-Farbe, Perücken-Farbe. Litt. *m* extrita pronuntiationis more. Grammatici, ut crebro Servius, et Charisius IV, p. 242., *cacephaton* pro κακέμφατον. *abolla* ex ἀμβόλλα. Ios. Scalig. ad Festi *Bulla.* Graeci alia plura. Vid. Salmas. ad Herod. Att. Inscrr. p. 87. Heinrich. *membrana mathematicorum, ut actus diurnos, quae* etc. Haec vitio laborare, vel illud *quae* manifesto ostendit. Valla: *vel membranas mathematicorum vel actus diurnos dicit.* Legendum: *membranam mathematicorum vel actorum diurnorum, quae — facta est.* Hinc incipit alterius scholium, cuius lemma praebet cod. Sang. *succina tritas*: *colorem* etc. Schopen.

576. *Thrasyllus.* Vid. Ionsius de Scriptt. Hist. philos. III, 3, 2. Heinrich.

582. *Ibi nam antea proponere solebant huius artis pro-*

fessores. Pro vitioso *proponere* lege *respondere.* Quod verbum in ea re proprium esse, nemo nescit. Schopen.

585. *Sunt enim ob hoc qui ab ipsa Phrygia exhibiti sunt.* Recte Hennin. *qui ob hoc.* Praeterea corrigendum *exciti sunt.* Idem.

587. *Condi fulgura dicuntur.* Vid. Lips. in Senec. de Clem. I, c. 7. p. 192. Salmas. Exercitt. Plin. p. 803. D. corr. *redigit quadam tacita ignorataque prece, et locum aggestione consecratum it.* Paulo aliter Io. Fr. Gronov. Obss. I, 13. Heinrich. Gronovium secutus, Henninius locum ita dedit: *redigit, et quadam tacita ignorataque prece locum aggestione consecratum facit.* Valla: *redigit et quadam tacita prece locus aggestione consecratur.* Minus accurate Vallam laudat Pithoeus. Schopen.

588. *in spina.* Cassiodor. Epp. III, 51. Conf. Salmas. Exercitt. Plin. p. 638. E. et 639. B. Gesner. Thes. v. *Spina.* Fabrett. de Columm. Trai. p. 150. Hoc scholium in errorem induxit Gesnerum ad Quintil. XII, 10, 74. et Thes. v. *Agger,* item Io. Chr. Cramerum in Walchii Actt. Societ. Lat. Ien. Vol. V. p. 299. Heinrich. Verba *in Circo* litteris obliquis exprimenda erant. Sunt enim Iuvenalis, pro more repetita. Schopen.

593. *cogente paupertate, non solum.* E cod. Sang. patet, duo hic rursus scholia esse, sic legenda: *Nutricis: id est, hac non solum — laborem.* *fortuna urgente: cog. paup.* Cod. Sang. in priore scholio *in haec non solum.* Correxi. Idem.

595. *illius scilicet, quia.* Lege *quae.* Idem.

601. *talis, qui interdiu nunquam se tibi ostendet.* Ita recte Twestenius. Idem.

606. *fovet: fabens fortunam tutare.* Scribendum: *infantes fortuna tutatur.* Idem.

610. *hic Thessala vendit: δεικτικῶς. nescit qui alter, qui cantus magicos nobis, quos matronis superstitiosis vendat.* Orellius verissime: *qui cantus magicos nobilibus matronis sup.*

vendat. Idem pro *nescit* legendum censet *nescio.* Frustra. Repone: δεικτικῶς. *Ecce, inquit, alter, qui* etc. Idem.

613. *Caligulam significat* etc. Valla his recte lemma praemisit: *ut avunculus ille Neronis.* Idem.

614. *Semper aquam* etc. De versibus, quos hic affert Schol., vid. mea ad poetam. Heinrich. Quae post *dedisti* sequuntur, delenda sunt, ut additamentum Pithoei. Valla ipse haec addit: *sed hi tres versiculi in multis non sunt codicibus. quos in antiquissimo legimus codice et Prolus etiam refert.* In versu tertio Valla non habet *Quo rabidus*, ut Pithoeus edidit, sed *Quod rabidus.* Schopen.

616. *pilleum ut pellicula.* Lege *pileum vel pell.* Vid. Casaubon. ad Script. Hist. Aug. p. 141. F., qui tamen hunc locum infeliciter tentavit. Idem.

622. *Deum fecit Imperatorem.* Cod. Sang. ante *Deum* addit *id est.* Recte; quippe alterius hinc Scholiastae annotatio incipit. Idem.

626 *Tanti: id est, ippomanes, tanta damna attulit venefica una.* Lemmata turbata sunt. Lege: *Tanti partus: id est hippomanes. tanti una: tanta damna* etc. Idem.

630. *videris, si alienos oderunt filios, ferendum est, hoc quid sit quod et suis infestae sunt filiis* etc. Lege ex palmari Orellii emendatione: *mulieres, si alienos — ferendum est hoc; quid quod et suis — succedere?* Idem.

631. *Mordeat ante aliquis.* Ita recte Valla. Idem.

638. *Publii Petronii,* qui aliis Caius vel Titus. Vid. Lips. ad Tacit. Ann. XVI, 18. init. Heinrich. Valla: *haec est pontia inquit Probus publii petonii filia quae defuncto drymione marito filios suos occidit. sed convicta ut largo vino atque epulis se obruerat incisis venis saltans cuius rei studiosa fuerat extincta est.* Schopen.

640. *quae agnita videntur, ego feci.* Mendum manifestum. Scribe *incognita.* Idem.

647. *non tamen pecuniae.* Excidit lemma: *sed Non propter nummos.* Idem.

649. *sexus femininus caelandi causa omnia audet facere, dum magnos amore dolore pollutos, quae neque offerre.* Twestenius pro *caelandi* legi iubet *zelandi;* quem ego non sequar. Fortasse scribendum *ulciscendi.* Talis certe interpretatio desideratur. Ex prodigiosa sequentium scriptura idem vir doctus infeliciter fecit: *dum magno sive amore sive dolore pollutus est, quem nequit ferre.* Nempe delitescunt hic versus Virgilii Aen. V. 5. et 6., quos describentium oscitantia adeo deturpavit, vix ut eos agnoscas, praesertim omisso auctoris nomine. Repone: *Virgilius: duri magno sed amore dolores Polluto, notumque, furens quid femina possit.* Iisdem versibus in eadem re usus est ad X. 329. Idem.

655. *Eriphylae.* Fabula turbata. Vid. Wesseling. Observatt. p. 129. Muncker. ad Hygin. f. 112. De *vite aurea* vid. Iortin. Tracts Vol. II. p. 384. Heinrich.

Sat. VII. v. 1. *Neronem palpat.* Valla *imperatorem p.* Schopen.

4. *mediastinus.* Pignor. de Servis p. 44. Voss. Etym. s. v. Scalig. in Manil. p. 294. Brisson. de Verb. signif. in v. Plebi in municipiis, coloniis, provinciis lavationes gratis datae: sed etiam meritoriae balneae. Vid. Reines. Inscription. p. 159. Gloss. Steph. *Mediastrinus,* περιχύτης. Casaub. in Lamprid. p. 92. A. Salmas. in Vopisc. p. 515. De hac scribendi ratione vid. Graev. ad Isidori *Lanistra.* Idem λοετροχόος Odyss. υ, 297. Ti. Hemsterh. ad Aristoph. Plut. p. 330. a. Heinrich.

6. *Callimachus — fluminis.* Haec eadem Servius ad Virg. Ecl. X, 12. Cf. Callim. Fragm. 380. et Odofr. Mueller. in Orchomeno p. 45. Idem.

7. *ostiarius et custos atriensis.* Cod. Sang. *ut.* Lege *vel.* Excidit etiam post *atriensis,* ut opinor, *fieret.* Schopen.

8. *quadrantes.* Fallitur Schurzfl. Lege: *Denarius, inde κοδράντης,* cum I. F. Gronovio, Mantissa Pecuniae vet.

p. 440., aut, quod rectius puto, non mutandum *quadrantes*, sed dicendum, Graecum esse, Latinis litteris scriptum, uti solet hic Scholiastes. Heinrich.

11. *popularibus*. Glossae Latinograecae: *Populares, στρατιῶται.* Cod. Iust. 1, 28, 4. *populares praefecturae urbanae.* Vid. Fabrot. ad Cuiacii Paratitla. *Stantibus* sic Scholiasta accepit, quia milites sunt stationarii. Vetus Onomasticum Vulcanii: *Stationarii milites, φυλακαί.* Recentius voc. *παραμοναί.* Cerda Advv. sacr. c. 37. n. 5. Idem.

12. *nomina fabularum aut malorum poetarum*. Schurzfl. *et malorum*, quod recte probat Weichert. l. l. p 240. Valla: *nomina nam fabularum haec sunt et malorum poetarum.* Schopen.

16. *id est Gallograecia* Twesten., *quia Galli in Graecia consederunt* Orellius. Vere utrumque. Idem.

20. *o iuvenes*, *huc venite*. Haec transponenda sunt ita: *Huc agite, o iuvenes: huc venite. Hortatur* etc. In lemmate scripsi *huc agite* cum Cramero. Idem.

22. *et trade Vulcano, o Telesine.* Cod. Sang. haec omittit. Scilicet alterius sunt glossatoris, ita scribenda: *dona Veneris: id est, trade* etc. Idem.

23. *membrana tabellae.* Apud Vallam hoc scholium ita legitur: *Membrana croceae tabellae quae croceam et subauratam tabellam habet: aut quaecunque in tabulis scripta sint in croceam dixit transferri membranam ut croceae tabellae dictum sit pro membrana crocea tabellae.* Idem.

29. *corpore — nimio labore confecti.* Duplex glossa. Altera incipit a verb. *Quia poetae.* Idem.

30. *Spes nulla ulterior: nummorum scilicet, nisi hedera et imagines.* Lege: *nisi hederae et imaginis.* Idem.

32. *Ut pueri: Omitte, inquit, Martem sectari, dum aetas opitulatur. avem: pavonem. cassidis: militiae.* Repono: *Ut pueri Iun. avem: pavonem. cassidis: militiae. Ne omitte, inquit, Martem sectari* etc. Idem.

34. *Taedia tunc sub.: cum senueris, nihil haberis.* Lege *habebis.* Pertinet annotatio ad verba *nuda senectus.* Idem.

39. *usque ad aetatem suam poeta dixit mille.* Salmas. Exercitt. Plin. p 608. D. post Ios. Scaliger. ad Euseb. Animadvv. p. 57. Heinrich.

40. *alii sordibus dixit, alii pictas.* Posteriora verba integra sunt, priora sic restituenda: *alii sordidas textis*, aranearum videlicet, nisi hoc ipsum vocabulum forsitan incuria obliteratum est. Apparet nempe, duplicem glossam referri ad antiquam lectionem, quae postea in corruptelam abiit: *maculosas commodat aedes.* Vid. Comment. I. in Iuven. Sat. p. 23. Idem. Mihi scribendum videtur: *aut sordidas dixit, aut pictas.* Schopen.

42. *Tristes effectas — hostium.* Haec alterius glossatoris sunt. Idem.

45. *Gradus superiores scansiles.* Nec ista idem annotavit, qui praecedentia. Idem.

47. *in theatro dicitur, quod* (immo *quia*) *pant. saltanti vacat. Eiusmodi autem et poeta eligit, in quo stans recitet ante tabulata.* Ita emendat, non tamen approbans, ut ait, Lipsius in eruditissima Epistola de Recitat. vett., Opp. T. II. p. 448. Minus feliciter. Nam *aut* nequaquam tentari debet. Heinrich. *quia,* quod Heinrichius coniecit, habet cod. Sang. Schopen.

51. *oblivisci,* passive. Barth. Advv. p. 1227. Nuper Boissonadius ad Nicet. Eugen. p. 165. voluit corrigi *obliterari.* Heinrich.

62. *id est, nihil defuit Horatio, sed tamen animos ad poetandum habebat.* Sententia futilis. Repono: *sed tantum animum ad poetandum adhibebat.* Schopen.

64. *Apollini.* Lege cum Valla *Apolline.* Idem.

65. *curas: poeticae egestates.* Orellius recte *poeticae et egestatis.* Idem.

69. *si illi defuissent res familiares.* Ita Orellius, qui

etiam in schol. praecedente recte *lodices* legit pro *codices.* IDEM.

73. *tabula calculatoria.* Burmann. ad Anthol. Lat. I. p. 519. *aleatoria*; frustra. Nam in alveolo calculis sive latrunculis aeque ac tesseris luditur. Vid. Gellium I, 20. Salmas. in Vopisc. p. 464. C. HEINRICH. In antecedentibus cod. Sang. recte *qui Atreum scribit.* SCHOPEN.

77. *ironia est, Leo levius pascitur, quam poeta.* *c o n s t a t l e v i o r i*: *Ex indignatione hoc dicit, Quia leviori* etc. Ita legendum. Patet enim, duplex esse scholium diversi auctoris. IDEM.

79. *ideoque.* Lege cum cod. Sang. *ideo quia.* Quod idem etiam infra ad 83. pro vitioso *ideo quid* habet. IDEM.

86. *nimirum.* Cod. Sang. *nimio.* Recte. IDEM.

89. *semenstri.* Vetus et probata scriptura prae altera, qua *n* omitti solet. Vid. omnino Oudendorp. ad Sueton. Caes. c. 80. p. 126. Muret. Opp. T. IV. p. 106. Multum diverse Vossius Etymol. v. *Forma.* HEINRICH.

104. *exceptori.* Wower. Polymath. p. 45. IDEM.

107. *breves.* Wower. ad Petron. p. 139. Burm. IDEM.

108. *Ipsi magna sonant: deest scilicet, quod divites se esse dicant.* Corrigo: *ipsi m. sonant*: *c a u s i d i c i scilicet, quod — d i c u n t.* SCHOPEN.

110. *cautionem habens* etc. In cod. Sang. haec ita leguntur: *cautionem habens multorum temporum ideo et dubium nomen dicit. et tetigit latus exacturus acrior illo creditorem argentarium significat* etc. Hinc emendo: *tetigit latus*: *exacturus.* *acrior illo*: *c r e d i t o r e. Argentarium significat* etc. Quae mox vulgo sequuntur: *Ex quo significat olim eum esse devictorem,* duplici vitio laborant. Unum sustulit Orellius, scribendo *debitorem.* Alterum latet in *olim*, pro quo legerim *m a l u m.* IDEM.

112. *ter sibi in sinu spuunt.* Vid. Frid. Lindenbruch. Not. in Cirin p. 295. HEINRICH. Valla melius *in sinum.* In alterius Scholiastae annotatione, quae incipit post *matertera*,

legendum est ex cod. Sang.: *multa sibi prospera promittentes.* Schopen.

114. *Lacerna — auriga fuit.* Haec rursus alter Scholiasta annotavit. Idem.

118. *stationes.* Gellius N. A. XIII, 13. Heinrich. Alter Scholiasta ita scripsit: *Scalarum gloria: scalae sunt armariola advocatorum, vel, ut quidam, casae et stationes* etc. Valla: *Virides schalarum gloria palmae. instar gladiatorum: ideo autem schalarum gloria quod apud veteres advocati schalas haberent et harmariola in quibus palmae praefigerentur velut quidam stationes: quod si sennam intellexisse volunt qui in corneliana correpsimus inquit in schalas.* Male Cramerus. Schopen.

119. *vocabulum.* Lege *vasculum.* Heinrich.

121. *id est, cibarium.* Haec est explicatio alterius Scholiastae, paulo illius doctioris; quam nec Schurzfl. nec Cramerus intellexerunt. *Vinum cibarium,* pro viliore, ipse Varro apud Non. p. 93, 14. Vid. Indic. ad Script. R. R. Schopen.

123. *negotiales causas* i. e. in quibus de iure quaeritur. Hac parte notatur Schol. a Salmasio De subscr. et sign. testam. c. 25., excusatur a Schultingio Commentatt. Acad. Vol. IV. p. 228. Heinrich.

128. *cuius oculus introrsus cedit.* Verissime Scholiastes. Vid. Lessingii annotata ad Winckelmanni Historiam artis, in Berliner Monatschrift, XI. Bd. 1788. p. 600. sq. Idem.

134. *stlataria purpura: illecebrosa.* Perinsignis haec glossa, et quae unice continet veram interpretationem difficillimae vocis. De qua voce partim incerta, partim falsa feruntur omnia et interpretum Iuvenalis et Lexicographorum. Rem attigit, his cunctis antiquior, Turneb. Adverss. XIX. p. 620. Opp., sed summissius, quam qui satis audiri posset. Nec multum profecit Casaubon. ad Theophrast. p. 26. Hoc igitur agamus. *Stlatarius* vox comica, iam olim quibusdam Grammaticis non intellecta. Glossae Isidori: *Stlataria, vestis piratica;* quae sine dubio ipsius Iuvenalis est glossa, ut in illa

congerie aliae. Item ex nostro Priscian. II. p. 589. Papias v. *Stlata*: *Inde stlataria purpura dicitur, id est marina, vel navis piratica.* Legendum: *vel vestis piratica.* Flavius Caper p. 2246.: *Stlataris* (*ius*) *sine c litera scribendum est, a stlata, rate piratica.* Quidam videlicet scribebant, ex pronuntiationis vitio, ut *cocturnices* apud eundem Grammaticum p. 2248, ita *stlactarius*, quasi *stalactarius*, a Graeca origine. Conf. Festum, et Gellium X, 25. Capro paulo distinctius Glossa vetus Stephani: *Stlatta, πειρατικοῦ σκάφους εἶδος.* Nam talium navigiorum plures sunt ac diversae species. Vocab. Latinum *lata*: sed haec forma ex antiqua mansit pronuntiandi et scribendi ratione, ut aliorum aliquot vocabb. Glossae: *Stlites, δίκαι, ἀρχαίως*, e certissima Vulcanii emendatione. Vid. Lips. de recta Pronunt. L. L. in Opp. T. I. p. 465. a. Et primitivae formae vestigium habent etiam, quamvis corruptae, Isidori glossae: *Latororum, genus navis, sed latrociniorum.* Item: *Latos, navis*, quod crisi sua pervertit Graevius, nec *Stlatos* vere correxit La Cerda, Adverss. sacr. p. 332. Neque minus hinc ductum *latena*, piratica navis, apud Du Cangium. Quare Lennepio credi non potest, *stlata* pro *stelata* a *στέλω, στέλλω* esse, quasi *instructam*: Etymol. L. Gr. p. 1285. Durior haec seu aspiratio seu sibilus: *lata, slata, stlata*, ut Gr. *μέρδω, σμέρδω* et *ζμέρδω*. Graeciae, recentioris tamen, unica est his inceptivis litteris vox *στλεγγίς*, ducta a *στρέγγω, stringo*, ut hanc in uno voc. formam facilius mireris, quam explices. Hermann. Commentat. de metris Pindari p. 237. Debebat explicari hoc argumentum ad Quintil. I, 4, 16. Nunc de significatione testes audiamus antiquos et egregios, sed hodie vulgo aut incognitos nimis, aut negligentius habitos. Gloss. Steph.: *Silatarus, πλανός.* De quo Reinesius plane fallitur, Epist. ad Rupert. p. 659. Item: *Stlactarius, ἐργόμωκος.* Glossaria Labbaei: *Slattarius, fuco, ancilla, ἐργόμωκος*, ubi animadverti velim, non mutari *s* pro *st* initio positum. Rursus Glossae: *Fuco, ἐργόμωκος.* Vocabulum hoc Latini nesciunt, et saltem suspectum id haben-

dum est: quumque Glossae Gr. lat. exponant *ἐργόμ.* *ambiciosus*, scribendum in illis quoque arbitror *fucosus*. Ipse Cicero *amicitias ambitiosas fucosasque* ita coniungit, ut simul nostram correctionem et probet et illustret. De *ancilla* fidem facit idem Glossarium: *Ancillula*, *ἐργόμωκος*, *παιδίσκη*, quam glossam explicant magni viri, Casaub. ad Theophr. l. c. et Salmas. in Trebell. Poll. p. 327. F. docentes, *ancillam*, *ancillari*, Latine dici de iis, qui sordide (immo, qui callide) adulantur. Adde Gesnerum h. v. Animadvertendum tamen erat, duas istic glossas latere, in unum confusas: *Ancilla*, *ἐργόμωκος*. *Ancillula*, *παιδίσκη*. Ἐργόμωκος Glossae explicant *adulator*, *ambiciosus*, et sic *ἐργομωκία*, *ἐργομωκεύω*. Item: *adsentio*, *ἐργομωκῶ*, *συγκατατίθεμαι*. *adsentatores*, *ἐργόμωκοι*. (Istic *adsentio* idem est quod assentor. Rutil. Lup. p. 134. *vobis in suadendo assentiuntur*, ubi Gesnerus: „F. *assentantur*." Male.) Hesychius: *ἐργομωκῶν· ἐμπαίζων*. Vix tetigerunt, nedum explanarunt, vim horum verbb. recentiores Lexicographi linguae Graecae. Facit huc impr. Zonaras nuper demum editus, v. *μωκία* et coniunctis, atque hoc maxime: *μωκίζω. τὸ μυκτηρίζω. τὸ ἐμπαίζω.* Glossae Steph.: *Μῶκος*, *sanna*. Ut *lenunculus* est piscatorium navigium, sic piraticum *stlata*, ille in pisces, haec in hostium naves, lenocinia, insidias, fraudes, ludificationes, illectamenta exercens. Inde *stlatarium* dictum, quod, tanquam *stlata*, decipit aut illectat, ac sane, ut in scholio est, illecebrosum. Idemque continet Glossa supra allata: *Silatarus*, *πλανός*. Vid. Stephan. Thes. III. 340. G. Olim *stlatae* fuisse videntur, quas posterior aetas *naves lusorias* dixit, *Kreuzer*. Apud Petronium aeque turbatum, c. 108., *quum appareret*, *futurum non stlatarium bellum*, i. e. non lusorium, non ioculare. Atque hinc denique assequor, quid sibi velit glossa, quam, tanquam aenigma, protulit ex Cod. Vossiano Valckenarius, Opusc. T. I. p. 241.: *κυβευτής*, *stlactarius*. E Glossario Latino id sumtum, ubi exstabat glossa: *Stlactarius*, *lusor*: quem homo indoctus putabat esse *τὸν κυβευτήν*. In versu Ennii pro *navis* apud Hennin. mendose

legitur *natus*, idque vitium hinc manavit in Lexicon Forcellini v. *Sil.* Hic autem versus addi poscit Fragmentis Ennii, ibi ab editoribus adhuc omissus. Quod sequitur: *Id est, multisonalis*, Ennium interpretatur. De *batalaria* Ducangius in Gloss. et Menagius Dictionnaire Etymol. de la L. Fr. v. *Bateau.* Heinrich.

142. *ante pedes, qui litigent.* Longe aliter Agroetius Putsch. p. 2274. (cf. Turneb. Adverss. III. c 23.), ex quo Glossa Isidori: *Antepedes, obsequia amicorum.* Idem. Probus Vallae non *consultent*, ut Cramerus ait, habet, sed vulgatum *consulant.* Schopen.

159. *si tu cor non habes?* Vid. mea ad poetam. Heinrich.

160. *Arcadico: asino, ac per hoc stulto, hebeti.* Absurdum. Lege, ut sint duo glossemata, in eandem sententiam scripta: *Arcadico: asino.* *Arcadico: ac per hoc stulto, hebeti.* Plane gemina exempla formulae *ac per hoc* habes I. 149. VII. 35. Add. Donat. ad Terent. Andr. I. 2. 4. Schopen.

162. *deliberativa eius, quam recitat.* Lege *qui recitat.* Idem.

163. *cum a tertio ab Urbe lapide castris positis, fulmine territus, eo quod propius accederet.* Legendum videtur: *cum ad tertium ab Urbe lapidem — territus esset, quin propius accederet.* Idem.

165. *proroga.* Scribe *praeroga*, monitus a Martinio Lex. Philol. v. *Stipulor.* Heinrich. Idem coni. Cramerus. Utrumque fefellit vera lectio. Scribendum procul dubio: *pro, roga, quantum tibi dem.* Ita verissime explicat v. *stipulari*, quod proprie est, ut Ernestius in Cic. Clav. s. v. ait, interrogare alterum solenni formula, an velit aliquid polliceri, praestare etc. Nec insolens est hic usus praeposit. *pro*, velut XIII. 77. Schopen.

168. *controversiarum. ut, si uxor venenum triverit, maritus recipiat oculos.* Post *controversiarum* cod. Sang. ita pergit: *Mortaria caecos. Themata huiusmodi scilicet controversiarum, si uxor* etc. Rectissime. Est enim alterius Scho-

liastae annotatio. In extr. legendum: *ut maritus recip. oculos.* IDEM.

171. *desinit.* Ita cod. Sang. Lege: *desinet.* IDEM.

174. *Summula: ne annonam perdat. sic mola medium significat gradilis panis.* Cuiacius Obss. XXVI, 17. et Gothofredus ad Cod. Theod. T. V. p. 267. corr. *summula modum significat.* Aliter Salmas. in Vopisc. p. 373. E. De *pane gradili* vid. Gothofred. l. c. HEINRICH. Cramerus recte se negat perspicere, quid *modus panis* sibi velit, aut qua ratione esse possit interpretatio *summulae* apud poetam. Quare lege cum eo: *modicum significat gr. panis*, aut, si mavis, mecum ita: *Summula: pretium significat gradilis panis.* Cod. Sang. *sub mola.* SCHOPEN.

192. *patricii.* Immo nobiles omnes, et patricii et plebeii. Ac sane patricios pro nobilibus quibuscunque accepit, cum eos novitiis opponat. Ita Stanisl. Santinellus de Romanor. nobilit., in Dissertatt. p. 83. HEINRICH.

196. *fuerit.* Ita Pithoeus et cod. Sang. Tamen malim cum Cramero *fueris.* SCHOPEN.

204. *rhetoris apud Athenas.* Lege *apud Athenienses.* IDEM.

214. *e Gallia* recte Hennin. Ex hoc scholio Isidorus in Glossis: *Allobroga, Gallum. Rufus.* Sic lego: at vide Graevium ad h. l. HEINRICH.

218. *proprium papatis*, scil. nomen. Iuvenal. VI, 633. *pappas.* Glossae Isidori: *Pappas, paedagogus, qui sequitur studentes.* Gr. *πάππος.* Pollux IV, 149. ibique VV.DD. Steph. Glossae: *παιδαγωγός, paedagogus, pedisequus.* Scaligerana altera p. 176. it. Scaliger ad Euseb. Animadverss p. 40. b. Colloq. II. in Excerptt. e vet. Lex. discipulus ad scholam exiens: *προῆλθον, ἀκολουθοῦντός μοι παιδαγωγοῦ.* Scaliger in Manilium p. 406. sq. Glossae Pithoeanae: *Eruli, domnuli.* Alia significatione dicunt *πάππας* Graeci. Eustath. ad Iliad. p. 565. *τὸν τροφέα πάππαν οὐδεὶς Ἕλλην καλεῖ*, e Lexico Rhetorico. Salmas. in Lamprid. p. 114. B. Theod. Marcilius in Persium p. 70. IDEM.

224. *aut lanarius.* Schurzfl. coni *ut.* Vulgata bene habet. Schopen.

227. *codex Horatii et Virgilii, in quibus* etc. Lege *codices.* Quae sequuntur, *quia et Horatius,* alterius sunt Scholiastae, ut apparet. Idem.

229. *rare sine lite magistris redduntur mercedes.* Ita Orellius ex cod. Sang. Idem cod. mox optime post *hora* addit *interrogati* Idem.

233. *Daphnes.* Vid. Reisk. ad Constant. Porph. Ceremon. p. 16. Heinrich.

234. *Tisiphone.* Error latet, opinor. In fabulis Tisiphone est Amphilochi soror: Apollod. III, 7, 7. Hoc nomen sciolus videtur transtulisse ad proximum *novercae Archemori.* Idem.

240. *ne se corrumpant.* Recte cod. Sang. *ne invicem se corrumpant.* Schopen.

242. *ut etiam mores — corrumpant se.* Hoc codicis Sang. additamentum abesse malim. Idem.

243. *victori populus.* Ad hoc Schol. vid. Lipsium Excurs. ad Tacit. Annal. I, 83. Gothofred. ad Cod. Theodos. T. V. p. 439. Casaub. in Scriptt. Aug. p. 66. E. Reisk. ad Constant. Ceremon. p. 102. Reimar. ad Dion. LXXVII, 10. Heinrich.

Sat. VIII. v. 1. *ordo, aut gradus.* Bynkershoek Obss. V, 10. *ordo et gradus.* Idem. Immo lege *vel gradus.* Schopen.

15. *Osce senex, Catinaeque puer, Cumana meretrix.* Ita versum Bibaculi corr. Pithoeus. Vid. Wesseling. ad Antonini Aug. Itinerar. p. 87., qui in antecedentibus pro *ut et* legit *unde et.* De Furio Bibaculo Quintil. X, 1, 96. et Spalding. ad eund. VIII, 6, 17. Heinrich. Add. Weichert. l. l. p. 331. et 362. Schopen.

16. *dedecorat.* Vid. Lipsium in Senec. de Benef. IV, 32 p. 323. Heinrich.

17. *Quid prodest, qui propter flagitia* etc. Lege *Quid prodest, si propt. fl.* Schopen.

20. *nisi suae virtuti aut nobilitati se ornaverit.* Scribe cum Cramero: *sua virtute et nobilitate.* Idem.

26. *imagines maiorum tuorum ut consulatus.* Lege *vel consulatus.* Idem.

27. *de sanguine rarus: id est, quod tales vel visum habeat.* Ut sensus constet, lege: *quod talem civem habeat.* Pertinet glossema ad voc. *ovanti.* Idem.

28. *εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν.* Vid. Loens. Epiphyll. V, 10. Iul. Firmicus de errore prof. relig. p. 409. Heinrich.

33. *id est, nigrum hominem.* Cod. Sang. *ut nigrum.* Corrige: *id est, ut si nigrum.* Schopen.

39. *Blandus Rubellius.* Vid. ad Dion. Cass. p. 1012. l. 59. Falsa est opinio, hunc eundem esse, qui Suetonio Aulus Plautius Ner. c. 35., nuper repetita ea Heidelbergae, Studior. Vol. VI. p. 113. Neque sic ibi erravit vir rerum pariter ac verborum intelligentissimus, Oudendorpius. Sumtus error a Peschwitzio, p. 118. n. 83. De hoc Scholio vid. Hessel. in Indic. Inscriptt. Gudian. p. XLVIII. Heinrich.

40. *superbus es nobilitate generis tumidusque feratur.* Cramerus: „Verba ultima, *tumidusque feratur*, videntur esse laudata e poeta, nescio quo." Verissime. Est locus Virgilii mire truncatus, Aen. X. 20., *Turnusque feratur per medios insignis equis, tumidusque secundo Marte ruat.* Schopen.

43. *con. sub ag. plebeia mulier. pauper, in castris natus.* Male Hennin. *plebeia muliere pauper.* Nempe a voc. *pauper* alterum incipit scholium, cuius lemma periit. Idem.

49. *quaestiones obscuras.* Hominis docti interpretatio. Vid. Gothofred. ad Cod. Theodos. T. V. p. 230. Heinrich.

51. *Eufraten: fluvius est in Oriente. id est nomen militia dat et curam cohortis sumit.* Legendum: *Hic petit: id est, nomen sumit. Eufraten: fluvius* etc. Schopen.

53. *Hermae.* Laudat hoc scholium Sluiter. Lectt. Andocid. p. 32. Heinrich. In extrem. cod. Sang. *Illi marmoreum: in hoc igitur tantum distas ab Hermulis.* Recte; sed pro *igitur* scribendum videtur *inquit.* Schopen.

61. *quando bellum est, de quocunque venerit armento.* Cod. Sang.: *quando bellum est, id est ille et nobilis equus. qui semper prendit alios, de quo venerit armento.* Post *bellum est* excidit lemma *Nobilis hic.* Deinde scrib. cum Orellio: *id est, ille est nobilis equus, qui semper praecedit alios, de quocunque venerit armento.* Idem.

Ibid. *equorum.* Lege *quorum.* Heinrich.

64. *non attendit* etc. Corrige ex cod. Sang. *non attenditur.* Schopen.

68. *ut miremur facta tua, non te.* Scribe *non genus.* Idem.

90. *exhausta.* Vid. Bentlei. ad Horat. Epod. V, 37. Heinrich. *qui piratas olim Cilicas exspoliaverunt.* Cod. Sang. recte *exspoliaverint.* Ceterum hic rursus scholia diversae manus dirimenda sunt, hoc modo: *Piratae Cilicum: bene Capitonem et Numitorem* etc. Particulam *igitur*, vulgo post *bene* positam, addidit is, qui corpus scholiorum consarcinavit. Schopen.

94 *Cilicum: accusantibus provincialibus.* Lege ex Valla: *damnante senatu: accusantibus prov.* Idem.

98. *iure bellorum.* Lege *belli.* Vid. ad VI. 153. Idem.

103. *Et cum Parrhasii: pictorum — artifices fuerunt. Phidiacum: Phidias statuarius fuit.* Ita scribenda utriusque Scholiastae annotatio. Idem.

104. *id est, quae a fabro* etc. Excidit lemma: *rarae sine Mentore.* Alterius enim Scholiastae sunt verba. Idem.

105. *Antonius* etc. Scholium, a Rutgersio frustra tentatum, egregie corrigit Ruhnkenius ad Vellei. II, 31. p. 177. sq. Verum non confudit Scholiastes Caium cum M. Antonio, ut ait vir summus; sed verba *C. Antonius a Caesare accusatus,* a prioribus seiungenda sunt, tanquam glossa alius auctoris. De M. Antonio, Triumviri patre, conf. Ern. Clav. Cic. p. 101. b. Heinrich. Ruhnken. ita legit: *Antonius, Triumviri Antonii pater, curator, ut ait Sallustius, orae maritimae, qua*

Romanum esset imperium, contra piratas. Vid. Sallust. Fragm. p. 219, 27. Gerl. Schopen.

112. *de resina pilos tollere*, pro resina. Schol. ad IX. init. *de obsequio acquirere.* Rarissimum exemplum Ovid. Met. VI, 80. *de cuspide*, cui vix unum addi potest Lucretianum. Vide omnino Salmas. ad Scriptt. Hist. Aug. p. 213. A. La Cerdam Adverss. Sacr. c. 147. num. 7. Wernsdorf. Poett. Min. T. III. p. 449. Mea ad Sat. VI, 45. Heinrich. Cod. Sang. recte *Nam putes* et *furti.* Duas glossas hic esse, Cramerus iam vidit, sed male seiunxit. Prior, ad Iuvenalis verba *unctamque Corinthum* pertinens, finitur in v. *deditas.* Tum incipit altera *Nam putes, inquit,* hoc lemmate: *Quid resinata.* Schopen.

120. *discinxerit: qui ibi bella finierat. id est, quid tolles* etc. Duo et hic glossemata diversa, sic scribenda: *discinxerit: qui ibi bella finierat. Discinxerit: id est, quid tolles* etc. Idem.

123. *possit repugnare.* Lege *possint.* Idem.

127. *Si e rebus intonsus non est.* Pithoeus *si ephebus int. non est;* recte, et sic hoc scholium exhibet Grotius Flor. spars. p. 111. Heinrich. Cod. Sang. *Vendit a. s. Erebus intunsus si non est puer.* Legendum: *vendit Acersecomes: ephebus intonsus. si nemo: si non est puer.* Haec sunt alterius glossatoris. Schopen.

136. *Si frangis: id est, si crudelis nimium sis. hebetes l. lict. secures: retunsae* etc. Ita scribendum ex cod. Sang. Idem.

139. *hoc quod et Sallustius.* Lege *hoc est, quod Sallustius.* Idem.

145. *birro Gallico.* Salmas. ad Tertull. de Pall. p. 269. Reiff. ad Artemidor. p. 312. Raynaud. Thes. Graev. T. VI. p. 1284. F. Heinrich. Probus Vallae *lucerna*, ut vulgo legitur, habet, non *luna.* Vid. Cramer. Schopen.

148. *ne celeres rotae sequantur.* Legendum *celerius.* Idem.

153. *manuas.* Vid. Salmas. ad Scriptt. Hist. Aug. p. 416. E.

Plin. Exercitt. p. 188. Heinrich. Quae sequuntur, *vino nam solet fessis animalibus infundi hordeum*, carent lemmate suo, *infundet.* Nec insolens est *vino infundi hordeum*, pro adspergi. Columell. XII. 47. *olivas aceto infundere.* Vid. Indic. Scriptt. R. R. Schopen.

157. *Epona.* Scholium laudat P. Scriverius in Syllog. Epp. post Alciati Epist. ad B. Mattium p. 226. Nic. Heins. Nott. in Prudent. p. 157. Heinrich. Pro *Epona dea* lege *Epona nam dea.* Schopen.

160. *ideo currit.* Lege *id est, occurrit.* Heinrich. Verissime. Cod. Sang. *ideo occurrit.* Praeterea excidit lemma: *Currit.* In seqq. Valla: *qui prope portam habitat.* Sed *manere*, pro habitare, etiam supra ad III. 200. et 166., ubi tamen legendum: *cara manetur pensione.* Schopen.

162. *Cyane: nomen tabernariae pro qualibet. Scortum.* Ante *scortum* repetendum lemma *Cyane.* Siquidem alter Scholiasta id annotavit. Idem.

174. *Sardanapali* corr. Rutgersius. Mox *loculorum, in quibus* mavult Muncker. Mythograph. Lat. T. II. p. 167. Vid. Salmas. Exercitt. Plin. p. 848. Heinrich.

183. *id est, quidquid dimittati fuerimus, peius superest.* Cramerus: „Corrupto, inquit, loco sanando non unum emplastrum in promptu est.“ Ex tribus tamen, quae attulit vir optimus, nullum prodest. Lege: *quidquid insectati fuerimus.* Schopen.

184. *paradoxi*, mimi. *παραδοξολόγους* affert Salmas. in Vopisc. p. 384. F, nullo auctoris indicio. *παράδοξα μυθεύοντες*, Timaeus in *Τερατολόγοι.* Coronati in ludis sacris, athletae et musici artifices, poetae, comoedi, citharoedi, cet. vulgo *paradoxi* vocati; Plutarcho *παραδοξονῖκαι*, de quo vid. Nic. Ignarra de Palaestr. Neapolit. p. 35. laud. a Ruhnk. Bibl. crit. V. p. 80. Cf. Schneid. v. *Παράδοξος.* Ista frequens appellatio in Graecis Inscriptt. Reines. Class. III. 36. Murator. T. II. p. 630. nr. 1. Casaub. in Dion. Chr. Diatrib. p. 492. Reisk. Steph. Glossae: *Παράδοξος*, mirus, excellens.

Falconer. ad Inscript. Athlet. p. 43. sq. et p. 45. de hoc Scholio, sed male. HEINRICH.

185. *Catulli.* Scholium indocti hominis, Q. Lutatium Catulum cum Catullo mimographo permutantis. Recte hactenus Schurzfl. Catullus hic *urbanus* dicitur XIII, 111. ab arte, i. q. *urbicus* s. *urbicarius.* Salmas. in Trebell. Poll. p. 314. sq. Ad hunc inepte translata narratio de Vorano servo furaci, quae ad Q. Lutat. Catulum pertinet. Est *fur Voranus* Horatii, Serm. I, 8, 39., de quo, quicquid hic traditur, sed multo sanius, habet Schol. Cruq. in Auctario p. 691. et Porphyrio. Vid. Gesner. Thes. s. *Exchalcio.* Coel. Rhodig. Lectt. antiq. X. c. 49. Iam confer Schurzfl. et Rupert. in Comment., et admirare inscitiam! IDEM.

186. *quantum ille gestum imitatus est scenicum.* Lege: *quam ille, gestum imitatus scenicum.* Male Schurzfl. IDEM.

189. *triscurria.* Corrigo: *Iocos, tres cursus nobilium fabulas agentium: dictum, quia tres simul excant, quamvis aliquid quaerentes. quamvis,* pro valde, cupide. Nihil vidit Voss. Etym. p. 458. IDEM. *Iocos* habet cod. Sang. In seqq. pro *quamvis* malim *quasi.* SCHOPEN.

191. *neaniscologos.* Salmas. ad Tert. de Pall. p. 298. ab audacia in iocis dicteriisque iaciendis. Mimorum est *νεανιεύειν.* Iac. Gronov. ad Minuc. Felic. p. 355. HEINRICH.

196. *ut in arena se locet, sed ut mimum agat.* Cod. Sang. *ut non in arena,* optime. Mox scribe *sed vel mimum agat.* SCHOPEN.

200. *Mirmillo.* Pleniora haec profert Vossius Etym. p. 323. b, puta ex suis ineditis. Rem egregie illustrat Salmas. Exercitt. Plin. p. 29. a. Festus in *Retiario,* ubi Scalig. verba adscripsit, tanquam ex Scholio Iuvenal., quae tamen ipsius sunt Festi. HEINRICH.

207. *tunicae.* Has nugas castigat Salmas. in Vopisc. p. 404. E. IDEM.

221. *Nero Troados libros scripsit.* Gonsal. ad Petron. p. 142. IDEM.

225. *gaudentis: imitari citharoedi Graeci coronam accipientis.* Sensus nullus est. Legendum: *gaudentis: instar citharoedi* etc. Schopen.

227. *voci missaria.* Vere scribitur: *vocis missaria.* „τὸ κήρυκτρον intelligi, manu sua adscripserat Ios. Scaliger": Voss. de Vitiis Serm. p. 505. Vid. Salmas. Exercitt. Plin. p. 639. F, quem compilavit Almelov. Heinrich.

233. *Allobrogae.* Vid. Oberlin. ad Caesar. B. Gall. p. 13. Idem.

235. *Aut, si estis id conari, quod hoc pacto debent puniri.* Cod. Sang. *Ausi estis id conari.* Recte; sed praeterea scribendum *debeat*, ut alii iam viderunt. Schopen.

241. *quia bello navali.* Lege *qui bello n.* Idem.

242. *Thessaliae campis.* Burmann. ad Anth. Lat. I. p. 221. Heyn. ad Virg. Georg. I, 490. Heinrich. Cod. Sang. recte *ut Pompeius.* Idem.

243. *Hoc nam differt ab Augusto Cicero, quia alia armatus, alia pacatus defenderit libertatem et civitatem.* Vide, num ego portentum lectionis, quam alii aliter tentarunt, recte procuraverim, scribendo: *Hoc nam differt — Cicero, quod alter armatus oppresserit, alter togatus defenderit libertatem et civitatem.* Idem.

247. *a centurione* etc. Vid. scholium ad XIV, 193. Lipsius de Mil. Rom. V, 18. Opp. T. III. p. 220., a quo Appuleiani loci notitiam hausit callidus dissimulator in Nov. Bibl. univers. German. Vol. CIII. p. 396. Ad Dion. Cass. p. 797, 19., ubi ῥάβδος pro vite. Heinrich.

253. *secundo, per Marium, familia nova. Nam primo per Ciceronem. Nobilitati, hoc est, ut triumpharet. Vel secunda lauro dixit* etc. Lege: *secunda: per Marium — Ciceronem. Vel secunda lauro dixit* etc. Alterius Scholiastae sunt, quae male interposita leguntur, sic corrigenda: *Nobilis o. l. c. s.: hoc est, ut triumpharet.* Schopen.

254. *collega L. Menilii.* Immo *T. Manlii.* In iis, quae sequuntur: *Hoc exemplo patris pro bello Samnitico et*

Tusco, bello Gallico ab hostibus est filius interemptus, perperam legitur *pro*. Scribe *post*. Deinde pro *bello Gallico* reponendum *vel Gallico*, nisi mavis totum, ut adventitium, deleri. IDEM.

259. *Ancilla natus: Ocriculana captiva.* Orellius praeclare: *Ocrisia, Corniculana captiva.* IDEM.

260. *Sextus a Romulo.* Hinc incipit alter Scholiasta. IDEM.

266. *cruci adfixit.* Unde hoc? Nam eius nihil dicunt scriptores, Liv. II, 5. extr. Dionys. Halic. Antiqq. V, 13. init. Similis est narratio de Xerxe ap. Herodot. VIII, 118. HEINRICH. Dirimendae hic rursus annotationes utriusque Scholiastae, iterato lemmate *Matronis lug.* ante *Vindicius*. SCHOPEN.

SAT. IX. v. 1. *et nihil de obsequio libidinis possit adquirere.* Lege *ut nihil.* IDEM.

5. *Lucilii.* Vid. Wernsdorf. Poett. Lat. Min. III. p. XXIII. HEINRICH. In antecedentibus recte cod. Sang.: *Servus, inquit, colapho.* SCHOPEN.

6. *tua scilicet nebulo.* Lege *tua scilicet, Naevole.* IDEM.

11. *id est, facetiis* etc. Tres interpretationes diversae. HEINRICH. Imo duae, ut ferme ubique. Siquidem prior ita scripta fuit: *Et salibus: facetiis urbicis abundans, id est urbanus.* SCHOPEN.

Ibid. *iocis fatigare*, pro vexare; et *fatigare* simpliciter dicitur pro iocari et ludere. Salmas. in Vopisc. p. 482. A. HEINRICH.

14. *psilotrum – dropacem.* Pignor. de Serv. p. 48. Lips. ad Senec. p. 477. n. 10. Scaliger ad Manil. p. 362. et 411. Ti. Hemst. ad Plut. Aristoph. p. 412. Toup. Emendd. in Suid. p. 94. Salmas. Epist. de Caesarie et Coma p. 241. IDEM. Lege: *psilotrum significat vel dropacem, quo solebant se accurare.* SCHOPEN.

15. *fruticante* : *populante.* Lege cum Orellio: *pullulante.* Vid. ad IV. 57. Idem.

26. *solebas scilicet.* Prius vocabulum, cum ipsius poetae sit, litteris obliquis scribi oportebat. Quae post *confiteris* sequuntur, ea ad vers. 27. pertinent, ut sit lemma restituendum *Utile et hoc.* Particulam *autem* idem addidit, cuius fraudem supra ad VI. 153. et VIII. 90. detexi. Idem.

31. *aerosum.* Vid. Salmas. in Vopisc. p. 417. C. Digg. XLVI, 3, 102. *pecunia aerosa.* Heinrich.

35. *diptychis.* Vid. Salmas. in Spartian. p. 16. F. Iuret. ad Symmach. p. 47. Glossar. msc. ap. Delacerdam Adverss. Sacr. p. 360. *Tabellae dicuntur dipticae, quibus corruptores puellis suum inscribunt amorem.* Est glossa Iuvenalis. Idem. Eadem glossa extat etiam apud Papiam. Schopen.

40. *Computat ac cevet: fiat computatio. cevet, crisat.* Haec ita legenda sunt: *Computat ac cevet: cevet, crissat. Ponatur calculus: fiat computatio.* Idem.

50. *dextrocheria.* *δεξιόχειρα*: Casaubon. in Capitolin. p. 180. C. Immo *δεξιοχέρια.* Vid. Salmas. in Trebell. Poll. p. 309. sq. et in Capitol. p. 248. F. Laudatur scholium a Gonsal. ad Petron. p 116. Heinrich.

52. *scamnum.* De sella gestatoria accepit Lipsius in Epistola Opp. T. II. p. 121. Magis dictum est pro subsellio, ut ex bonis auctoribus Lexica. Quanquam et fuit gestatio scamno, ut Lipsius e Celso. De voc. Voss. Etymol. Compara Graec. *βάθρον* de subsellio apud Demosth. et alios. Savaro ad Sidon. p. 23. sq. Idem.

57. *super exhausto.* Lege cum Schurzfl. *nuper exhaustus, transacto vindemiarum tempore.* Idem.

61. *ut solent infantes delectare.* Corrige *delectari.* Schopen.

62. *ac per hoc Gallo inquit, dixit. legetur: id est, legatario donabitur.* Lege: *An vero hoc Gallo, inquit, legetur? dixit legatum fiet, id est, legatario donabitur.* Certum est, hoc postremum si spectes, lectum fuisse a scholii auctore

legatum HEINRICH. Minime mutari debebat formula, Scholiastis usitata, *ac per hoc*. Vid. ad VII. 160. Sunt verba alterius commentatoris quae ita restituenda videntur: *Cymbala pulsantis*: *ac per hoc Gallum inquinatum dixit. legatum fiet*: *id est, legatario donabitur.* SCHOPEN.

64. *unicus oculus Cyclopis.* Cod. Sang. verissime: *unicus, ut oculus Cyclopis.* Ita interpungendum est. *Unicus* verbum est Iuvenalis. Vid. Heinrich. ad h. l. IDEM.

81. *quo te vertas* etc. Lege cum Schurzfl.: *quo te vertas ad haec; quae dicturus es?* IDEM.

84. *scilicet qua apud aerarium patres nomina natorum deferebant filiorum, vel nominum notitiam devulgare contest. p.* Sic obiter Salmas. legit, ad Lamprid. p. 177. A. Post *devulgare* insere *solebant*. Locutio *apud aerarium* significat apud praefectum aerarii. De re Guther. Off. Domus Aug. III, 33. p. 843. Brisson. Selectt. Antiquitt. I. c. 5. Salmas. Exercitt. Plin. p. 504. D. Forner. Rer. Quotid IV. c. 25. HEINRICH. Cod. Sang. post *filiorum* ita pergit: *Tollis enim c. l.*: *nativitatibus. spargere gaudes*: *id est, nominum* etc. Recte. Est enim alterius Scholiastae annotatio. SCHOPEN.

99. *ne tibi despectae sint, quas habet cinaedus iras. id est, quamvis cara annona veneni sit, tamen venena dat, quanticumque distrahantur.* Utriusque Scholiastae annotatio male hic confusa. Alter post verba *cinaedus iras* ita perrexit: *Venena dat, quanticunque distrahantur.* Alter lemmati *His opibus*, nunc extrito, adscripsit: *id est, quamvis cara annona veneni sit, tamen dat.* Cod. Sang. *tamen dat*, omisso *venena*. IDEM.

101. *vel, in Areopago Athenis.* Hinc incipit alterius scholium, quod ita scribendum: *ut Curia Martis Ath.*: *ut in Areop. Athenis.* IDEM.

109. *infertores, qui inlata carpunt.* Muncker. Syllog. Epist. Burm. V. p. 405. „Malim, *infertores, et qui* etc. Neque enim infertores iidem et carptores.“ Immo duae sunt Glossae, una: *infertores*; altera: *qui illata carpunt.* HEINRICH.

114. *petebat.* Lege *petebas.* Quod sequitur *ut tacere possint*, ad totam sententiam pertinet. Schopen.

115. *magis prodere secreta dominorum cupiunt quam vivere.* Postrema vox corrupta. Lege *bibere.* Idem.

118. *ut eos possit contemnere.* Corrige *possis* Idem.

133. *multos inberbes habes tibi crescentes.* An *succrescentes?* Idem.

137. *thus minutum manna vocant.* Isid. Gloss. *Tus* (*thus*), *pollen, manna, vel genus pigmenti.* Add. Reines. Varr. Lectt. II. c. 8. Heinrich. In seqq. pro *et* lege *Vel.* Schopen.

139. *aut habeam, ubi maneam, aut supra quod incumbam senex.* Novum hoc scholium, cuius lemma periit Scribe: *quo sit mihi tuta*: *ut habeam, ubi maneam* etc. Idem.

142. *quorum laturas.* Vid. Salmas. Plin. Exercitt. p. 239. F. Heinrich.

146. *plastae, archetypus.* Hoc pertinet ad verba: *Qui multas fac.* etc. Idem.

Sat. X. v. 5. *quid tam merito credis optare.* Lege *optandum.* Schopen.

22. *ut generaliter intelligi hoc poeta figurate in Nerone.* Ita cod. Sang., teste Orellio. Lege: *vult generaliter intelligi hoc poeta, aut figurate in Neronem.* Formula *vult intelligi* cum alibi legitur, tum mox ad v. 74. Idem.

24. *in foro Traiani.* Vid. ad Dion. Cass. II. p. 1133. Hinc causa patet, cur syngraphae comburantur in foro Traiani, Scriptt. H. Aug. p. 4. C. et 222. B. Casaub. ad Suet. Aug. c. 32. Du Fresne Glossar. v. *Arca* nr. 4. Heinrich.

Ibid. *usque ad Cerealem praef.* M. Neratius Cerealis Constantio Imp. Praefectus Urbi a. 352. p. C. N. Vid. Vales. ad Marcellin. XIV, 11. p. 47. Tillemont. Histor. Imperat. T. IV. P. II. p. 745. sq. Prosopograph. Codicis Theodos. T. VII. Ritteri, s. h. nom. De arcis in foro cf. Schol. ad XIV, 261. Idem.

27. *vinum coloratum.* Elmenhorst. Ind. in Appulei. v.

Colare locum sic ponit ex vet. manuscripto: *In aurata phiala cum vinum colatum acceperis. Colare vinum* monet apud Apicium legi l. 1. c. 4. Tertullian. de Anima c. 9. *berylli fluctuant colato nitore.* Sed integra vox ista, rarioris quidem usus. Glossae: *Coloratus, στίλβεος.* Et sic fortasse scribendum apud Tertull. Ducang. Gl. Gr. v. *Κολλάθον.* HEINRICH. Certe legendum *fiala. A* in vitium abiit, ut paulo ante in *Setio.* SCHOPEN.

35. *palmatam*, togam. Vid. Duker. ad Florum I, 5, 6. Salmas. in Vopisc. p. 509. B. HEINRICH. Vide, num istud ad verba *in tunica Iovis* adscriptum fuerit. SCHOPEN.

38. *purpura confectam.* Vid. Salmas. in Vopisc. p. 368. F. et Exercitt. Plin. p. 330. F. Ferrar. R. Vest. II. 8. p. 712. Graev. addendum censet *et* inter *Iovis* et *togam.* Ulcus gravius latet. HEINRICH.

43. *virga.* Salmas. in Vopisc. p: 358. B. Reines. Epist. ad Rupert. p. 66. sq. IDEM.

55. *in signis insignare.* Vid. Gesner. Thes. v. *Incerare.* Rhodius Lexic. Scribon. v. *Signare.* IDEM.

57. *imaginem eorum.* Dele *eorum* cum Gesnero ad Claudian. XXII, 244. IDEM.

63. *Tiberio usque adeo carus amicus.* Salmas. in Lamprid. p. 178. E. Latinitas in Gallicismum vergens: *cher ami.* IDEM.

74. *quae apud Nyrtiam civitatem colitur.* Ita recte cod. Sang. SCHOPEN.

75. *si — occideret factione Tiberium Neronem sua, potuisset favore fortunae modo Augustus esse.* Codex Sang. *esset.* Unde Orellius legi iubet: *occidere — potuisset favore fortunae, modo Augustus esset.* Praetera *sua* transponendum videtur post *factione.* IDEM.

76. *hac ipsa: Et hac ipsa diceret eum Augustum populus Seianum, qua illi detrahit, potestatem imperii secuta.* Ita Cramerus. Verum in cod. Sang., teste Orellio, lemma est hoc: *diceret hora.* Dein subiungitur: *ac ipsa diceret — Seianum.* Quo inani additamento, unde venit, redire iusso, ve-

tus Pithoei glossa ita restituenda est: *hac ipsa: qua illi detrahit, potestate imperii exuto.* IDEM.

82. *multos habet fornax, quos exurat.* Scripsit *capit fornax.* IDEM.

87. *Quoniam dederat.* Hic incipit Scholiasta alter. IDEM.

93. *Tiberius nam Nero.* Ita recte cod. Sang. IDEM.

95. *Iuxta aggerem* etc. Vid. Lips. ad Tac. Ann. IV, 2. et de Mil. Rom. V, 14., multo magis Nardini Rom. Vet. T. IV. p. 1082. B. et Borrich. ibid. p. 1551. A. HEINRICH.

97. *perveniunt* cod. Sang. Malim *proveniunt.* SCHOPEN.

129. *Filius autem fabri ferrarii fuit Demosthenes.* Lege cum cod. Sang. *Quem pater: nam filius fabri* etc. Vide supra ad IX. 26. IDEM.

136. *Aplustra.* Voss. Etymol. Heins. ad Sil. Ital. X, 328. Glossae: *Aplustra, πτερὸν πλοίου, ὡς Ἔννιος.* De quo Salmas. Exercitt. p. 404. Sane in puppe: non tamen ornamentum, sed quam nautae hodieque *alam* appellant, signum ventorum mutationibus in alto mari notandis. ἄφλαστος. Boettiger. Mus. archaeol. p. 23. Beckmann. Symbol. IV. 556. Haec nativa et propria videtur esse significatio, unde reliquae manarunt. Cf. Lexx. HEINRICH.

Ibid. *Alii dicunt rostra navis.* Ut ἄφλαστα Graeci exposuerunt τὰ ἀκροστόλια. Salmas. Exercitt. p. 404. B. Scheffer. R. Navic. II. c. 6. κόρυμβα, id est κέρατα, a κορύπτειν, unde κορυφή. Heyn. Obss. ad Iliad. ι, 241. Hinc Lat. *corymba,* non *corymbi,* in ornamentis navium. IDEM.

150. *in ortum Macrobii praestant eos, qui iunguntur Mauritaniae, aequitate, aetate, virtute.* Fortasse scripsit: *Macrobii, qui praestant alteros, qui iunguntur* etc. SCHOPEN.

158. *constat nam* etc. Notat haec Cuper. de Elephant. II, 4. in Thes. Antiqq. Sallengr. T. III. p. 142. E. HEINRICH. Quod hic Hannibalem *fulmine* ictum ait, cum supra legatur, eum a *frigore* oculum perdidisse, id non debebat Pithoeum offendere. Quippe duorum haec interpretum, et eruditione et acumine dissimilium. SCHOPEN.

162. *Prusia in Yrcynia civitas.* Schurzfl. merito ista delenda censet, utpote a sciolo invecta. Idem.

167. *studentes.* Vid. Spalding. ad Quintil. II, 7, 1. Heinrich.

171. *quem hodie dicimus ordinarium lapidem.* Iam Vitruv. II, 8, 5., ubi nunc vid Schneid., post Salmas. Exercitt. p. 869. et 870. B. Idem. Mox vitiose: *In hac igitur urbe Alexander, devictis Persis ingressus, veneno periit.* Lege: *In hanc igitur urbem, devictis Persis, ingressus* etc. Denique pro *detinet* scribendum *tenet.* Vitium peperit syllaba praecedentis vocis male repetita. Schopen.

172. *exiguo loco,* i. e. sepulcro. Petron., qui extremo Antoninorum tempore scripsit, c. 112. s. fin. *commodaret modo illa perituro locum*; et per Inscriptt. sic passim. Conf. Salmas. ad Inscr. Herod. Att. p. 59. Hinc paulo differt *loculus,* arca, σορός: Lexica e Plinio. Sic tamen et *locus* dici potuit, ut Hesychius: Σορός· μνῆμα, θήκη. Gonsal. ad Petron. p. 182. Heinrich.

174. *Athonem montem.* Burm. Anthol. Lat. I. p. 193. corrigit *Athon,* et pro *in Achaiam* malit *Thraciam.* Meliora haec: sed illa sunt Scholiastae. Idem. Ne haec quidem mihi videntur meliora. Vix enim dubito, quin *Achaia* utrobique designet Graeciam, cui etiam Servius ad Virg. Georg. I. 332. montem illum adscribit. A verbis *Pontum contabulasse navibus* novum scholium incipit, hoc lemmate: *constratum classibus.* Schopen.

178. *Sostratus poeta f.* Miro modo obloquitur Gesner. v. *Cantare* s. fin. Heinrich. *ut alae eis sudent* dedit Schrevelius, ex Salmasii, ut videtur, emendatione. Schopen.

180. *Ventos scilicet. Solebat verberare flatus. Sic nam fingunt Graeci poetae.* Scribe coniunctim: *ventos scilicet solebat verberare flagris. Sic nam* etc. Idem.

184. *serviret.* Lege *servivit.* Ita Pithoeus et cod. Sang. Idem.

196. *qui discerni possint inter se.* Lege *quibus.* Idem.

198. *senibus enim una esse videtur forma.* Scribe *senibus* ***autem***, aut *enim* delendum. Vid. Drakenborch. ad Liv. X. 39. 4. Idem.

200. *Notandum masculino genere dixisse, ut hic gingiva.* Ridiculus error, indignus censore Vossio de Arte Grammat. III, 19. Heinrich. Scripsit tamen *ut* ***sit*** *hic gingiva.* Schopen.

210. *parvitatem.* Vere Orellius *per aetatem.* Idem.

221. *Archiater.* Gruter. Inscriptt p. DCXXXII. 4. *Archiatros.* Gesner. Thes. in v. Brisson. s. v. Heinrich.

225. *quot villas habeat extonsor, eo die, qui me tutundit, senator factus.* Orellius pro *eo die* bene *hodie.* Sed resident alia, quae corrigi poscunt. Scribe: *quot villas habeat hodie, qui me* ***totondit***, ***ex tonsore*** *senator factus.* Schopen.

230. *dum incibat.* Scripsit ***cibat***, ut paulo ante. Error fluxit ex iterata littera praecedente. Idem.

234. *incipit nullum agnoscere de suis, nec filios suos aut amicos.* Vitium traxisse *suis*, perspicuum est. Lege ***de servis***, quod ipsius poetae sententia requirit. Idem.

238. *Ad Phialen: impuram hanc fuisse demonstrat poeta, interea et artificem ad inquietandum senis inguinem.* Repone: *impuram hanc fuisse demonstrat poeta* ***mulierem*** *et artificem* etc. Idem.

239. *ex eo quam diu prostiterit.* Lege: *ex eo*, ***quod*** *diu* etc. Idem.

260. *Portante: quae solent a filiis in funere patris fieri.* Cod. Sang. *in funera patrum.* Hinc scribendum coniicio: ***quia*** *solent a filiis* ***funera patrum*** *fieri.* Idem.

273. *apud caeteros* etc. Non male Schurzfl.: *aeque ut caeteros*, et mox *relictus exercitu, ense periit, cum hausto veneno, ex accepto frequenter antidoto ita perire non posset.* Vid. quos Freinshem. laudat ad Liv. Suppl. CII, 54. Idem.

302. *conferri in pueris.* Dele ***in***. Idem.

304. *tui: cui multorum erit causa malorum et ingentium.* Haec pertinent ad v. 310. et cum scholio, quod ibi legitur,

sic coniungenda sunt: *exulta in pulchritudine filii tui, q u a e e i multorum* etc. Quae sequitur glossa *id est, tyrannus,* adscripta erat Iuvenalis verbis *Nullus ephebum*, v. 306. Idem.

315. *plus nam dolent mariti. In adulteros quaqua lex iubet, exercent.* Orellius coniecit *Maiora in adulteros quam quae* etc. Hoc probo, illud non item. Scribe uno tenore: *plus nam d o l e n t e s mariti in adulteros, quam quae lex iubet, exercent.* Idem.

317. *piscis, grandis capitis, postremis exilis.* Cod. Sang. *postremus.* An *grandis c a p i t e, i n postremis exilis?* Idem.

322. *sive est haec Appia: quaelibet nobilis matrona, in desiderio viri. nihil aliud propter libidinem spectat.* In cod. Sang. verbis *nihil aliud — spectat* appositum est sequentis versus lemma: *Deterior totos.* Recte. Eadem corruptela in antecedentibus. Scribe: *u d i s i n g u i n i b u s: in desiderio viri.* Pro *propter* edit. Schrevel. optime *praeter.* Idem.

325. *nam propterea.* Legendum videtur: *n o n n e propterea damnati sunt?* Idem.

329. *dum laesa aut contempta erubescit, dum laesus amor irascitur.* Post *erubescit* repete lemma: *Cum s t i m. o. p. a.* Siquidem alterius sunt sequentia. Idem.

330. *quod quasi de industria* etc. Verissime Cramerus monet, narrationem e Sueton. Claud. c. 29. ad verbum expressam esse; ut sit legendum: *quasi de industria simularentur ad avertendum periculum, quod imminere ipsi per quaedam portenta ostenderetur.* Nescio, unde sumserit, quae sequuntur: *Hostilium transeuntem per forum rapuit Claudius et necavit.* Certe pertinent ad v. 331. et corrigenda sunt, ut arbitror, hoc modo: *O p t i m u s h i c: S i l i u m transeuntem* etc. Idem.

335. *dos scilicet secundum morem.* Scholium illustr. Ios. Mercer. ad Aristaenet. p. 46. ed. Pauw. Heinrich.

336. *auspices ut solebant nuptiis interesse.* Male Cramerus pro *ut* coni. *autem.* Scripserim *n a m.* Schopen.

339. *si contradixeris, moreris; si consentias, paululum mortem differis.* Lege: *si contradixeris, mox morieris, si consentias — differes.* Idem.

364. *via, quae sola quieta esse potest vitae.* Scribe: *qua sola quieta esse potest vita.* Idem.

365. *ne quid Deos, qui sapiat, timebit.* Haec intelligi nequeunt. Repone: *non, inquit, Deos, qui sapiat, timebit.* Pravam scilicet nonnullorum codicum lectionem etiam peiorem reddidit interpretando. Idem.

Sat. XI. v. 1. *per Atticum vero divitem vult intelligi quemlibet.* Molestum *vero* debetur διασκευαστῇ, qui Commentarios duorum Interpretum (pluribus enim usum fuisse vix crediderim) consarcinavit et uno volumine complexus est. Vid. supra ad II. 92. IX. 26. Quare legendum: *Atticus: per Atticum divitem* etc. Sunt alterius Grammatici verba. Idem.

8. *superba et delicata.* Immo, *superba dictata,* ut scribit Gothofred. ad Codic. Theodos. T. III. p. 327., praeeunte Rutgersio. Heinrich. Pro *aut haec scripturus* lege *et haec scripturus.* Nisi potius et hic duo scholia diversa ab interpolatore consuta sunt, ut sit scribendum: *et regia verba: id est, haec scripturus* etc. In seqq. male legitur *quae iuris et consuetudinis erant ab iisdem scribi, qui accepto pretio se in ludo distrahebant.* Repone: *ab iis describi, qui accepto pretio se in ludum distrahebant.* Idem ad v. 20.: *distrahunt se ad ludum.* Schopen.

